UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Opera S. Matris Teresae De Iesv Carmelitarvm Discalceatorum et Discalceatarum Fundatricis

Jn duas partes distincta

**Teresa <de Jesús>**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCXXVI [erschienen] M.DC.XXVII.**

Conceptus Amoris diuini super quædam Cantici Canticorum verba à S. M. Teresia conscripti, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37974**

Visual Library

# CONCEPTVS AMORIS DIVINI,

## *SVPER QVÆDAM CANTICI Canticorum verba*

## à S. Matre TERESA DE IESV conſcripti.

*SVMMARIVM EORVM QVAE TOTO HOC TRACTATV continentur, ad clariorem doctrinæ eiuſdem intelligentiam à Patre Hieronymo Gratiano concinnatum*

HIs in Conceptibus S. Mater Tereſa, ſex amoris diuini modos, qui è ſex alijs orationis modis ortum habent, proponit, & quinque Cantici Canticorũ loca declarat. vniuerſa autem hæc doctrina in ſeptem Capita diuidetur.

In primo (vt liquidò verba illa, *Oſculetur me Dominus,* &c. & alia ſequentia declaret) oſtendit, quam difficile ſit verum S. Scripturæ ſenſum inuenire, atque eum inueſtigare, non eſſe mulierum, ſed virorum, & quidem bene doctorum. Veruntamen ſi Deus hunc ipſis in oratione & ſpiritu ipſarum det, non eſſe eum reijciendum; ſed potius, ad maiorem Dei honorem & gloriam, & animarum bonum, manifeſtandum. Adhæc, nonnulla Cantici Canticorum verba, tametſi vilia & abiecta, nec tantam puritatem præ ſe ferre videantur, ſi tamen ritè intelligantur, altiſſima inuoluere myſteria, atque ore Dei & ſponſæ Chriſti digna eſſe. *Cap. I. De Canticorũ ſenſu.*

In ſecundo autem capite (optima namq; rei alicuius grauis & magni momenti intelligendæ ratio & modus eſt, per eiuſdem contraria) quo verum Dei amorem, ac veram quam anima cum Chriſto habet pacem (cuius ſymbolum eſt oſ- *Cap. 2. De falſo amore.*

culum quod ſponſa poſtulat) declaret, nouem falſæ pacis & fallacis & imperfecti amoris modos proponit. Quæ Doctrina permagni momenti eſt, quò conſcientiam ſuã examinet is, qui ad perfectionis apicem peruenire cupit, vt quæ animã ſuam impediunt & detinent imperfectiones, ab ea eijciat.

*Cap. 3. De vero amore.*

In tertio exponit, quæ vera ſit pax & Dei amor, & quæ voluntatis noſtræ cum voluntate Chriſti vnio & reſignatio, quæ è bona & vera oratione ortum habet. Itaque declaratur verba illa, *Oſculetur me oſculo oris ſui, &c.*

*Cap. 4. de amore dulci*

E vero iſthoc amore, & Dei aſſiſtentia in illa anima, quæ ſe ab ipſo Domino amari ſentit, quædam naſcitur in corde ſuauitas, guſtus, dulcedo, & voluptas; eaque tam magna, nullum vt ſit tum temporale, tum ſpirituale gaudium, quod cũ illa queat comparari. itaque peruenit anima ad orationẽ quietis, cuius adminiculo iſthæc dulcedo acquiritur. Vnde de dulci hoc amore in quarto capite tractatur, idque ſub illis ſponſæ verbis. *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

*Cap. 5. de amore conſtante.*

Capite quinto agitur de amore ſecuro, conſtante & perſeuerante; qui amori dulci ſuccedere ſolet. Anima namque iã certa, ſe à Deo diligi, diuiniſque ſe conſolationibus & delicijs inſignitam videns, ſub vmbra & protectione dilecti ſui requieſcit, arboris vitæ (quæ eſt Ieſus Chriſtus,) fructus colligens. Cùm autem huc pertingit; quando ſcilicet per voluntatis ſuæ in diuinam reſignationem (quæ eſt velut oſculum) iam tranſijt, & iucundiſſimis dulcis amoris vberibus iam perfruita eſt, in orationem fiducialem, & magnanimam, nec non in quamdam cordis altitudinem ingreditur; adeò vt, quodcumque à Deo petat, id certò ſe ab eo conſecuturam exiſtimet. Et in hac fiduciali oratione & ſecuro amore exponũtur illa Canticorum verba; *ſub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.*

*Cap. 6. De amore forti.*

Non omnes animas Deus eadem via ducit; dona quippe ſua diuerſimodè diſpertitur, & gratias ſuas diſtribuit, cui vult, & quomodocumque vult. Aliquæ enim non habent raptus & extaſes cum quadam ſenſuum alienatione, vti anima Chriſti, B. Virginis, & aliorum Sanctorum. Alias vero ſic deducit, vt per amorem dulcem, conſtantem & ſecuram ad ſpiritu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſpiritus in ipſis increſcat, & ad tam vehementem ac fortem amorem perueniant. vt, corpore eum ferre non valente, ipſum extra ſe educat, animamque alienatam & abreptam relinquat.

Fortis hic amor duplici è fonte promanat. Primo, ab ipſa vehementia & magnitudine ſpiritus; deinde à corporis imbecillitate: nam cùm tantam ferre lucem nequeat, manet cæcum & non videns, quoadusque ſquamæ ab oculis decidant, atque ipſum ad ſe redeat; quemadmodum Apoſtolo Paulo ſuo in raptu contigit. Cumque in diuini huius vini cellam ingreditur, amore hic in corde feruente, ſpiritus & vapor qui inde promanat, tam eſt vehemens, nec non tam potens vini huius quo repletur, vis, vt inebrietur, & extra ſe rapiatur, & ad eum orationis modum, quem exſtaticum aut raptus vocant, perueniat: tametſi intellectus & voluntas interea lumen nihilominus accipiant, & ament, atque ipſe Deus opus maximè ſublime & vtile, quod eſt, ordinare charitatem, in ea operetur, & ſic declarantur verba illa. *Introduxit me Rex in cellam vinarum, & ordinauit in me charitatem.* Atque de his capite ſexto agitur.

Finis, ſumma, culmen omnis amoris & perfectionis eſt, magna quædam pro Deo opera facere, eaque ad propriæ animæ puritatem, Domini illius honorem & gloriam, ſalutẽ animarum proximorum tendentia. nec non, vt quiſquis labores & aduerſitates habet, cum patientia & amore eos perferat; qui verò non habet, eoſdem, quò Chriſtũ imitetur, deſideret. Eſt hic amor, vtilis, qui per flores & poma declaratur, & in oratione maximè meritoria locum habet. Hunc vero amorem ſponſa petit, dum dicit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ac de eo in ſeptimo & vltimo capite fit mentio.

*Cap. 7. de amore vtili.*

CON-

# CONCEPTVS AMORIS DIVINI,

## Capvt I.

*QVAM DIFFICILE SIT SACRARVM LITTERARVM, ma-
ximè Cantici Canticorum, ſenſum intelligere. mulieres, & qui docti non ſunt in
exponendis laborare non debent: at, ſi Deus vltrò & ex gratia in oratione [illegible]
ſenſum dederit, eum non reijcere. denique nonnulla Cantici Canticorum verba (ta-
metſi humilia, vilia, & à puriſsimo Dei, ſponſæque eius, ore aliena vi-
deantur) ſanctiſsima in ſe myſteria, ac ſublimiſsimos quoſ-
dam conceptus complectuntur.*

*Oſculetur me Dominus oſculo oris ſui, quia me-
liora ſunt vbera tua vino, &c.*

OBſeruaui diligenter, videri animam (quantum hic qui[dem]
oſtendit) loqui cum vna, & pacem petere ab alia perſona. [Di-]
cit enim, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ac ſtatim videtur ad illum, qui[cum]
orat, dicere, *Meliora ſunt vbera tua.* Quod quomodo fiat, non intellig[o]
atque, ipſum non intelligere, magnæ mihi eſt voluptati. Etenim,
vt verum fatear, non tam anima Deum ſuum conſiderar[e]
intueri debet in rebus, quas ingenijs noſtris tam tenuibus hic [...]
ra conſequi poſſe videmur, quàm in ijs quæ nullo modo [...]
poſſunt. Vnde, ſingulari quodam modo vobis commendo, [vt]
cùm aliquem librum legetis, aut concionem audietis, aut e[tiam]
de ſacroſanctæ fidei noſtræ myſterijs meditabimini, ſi fortè ea non
ſatis plenè poteritis intelligere, minimè defatigemini, aut ingenium
veſtrum in ijs minutius inquirēdis & ſcrutandis torqueatis. nam [non]
eſt hoc mulierum, & ſæpè etiam ne virorum quidem. Si quando Do-
minus ſenſum ac intellectum eorum dare dignatur, hoc Maieſta[s]
ius ſine vllo labore noſtro facit. Hoc dico Mulieribus, & ijs etiam
viris, ad quos ex officio non incumbit, doctrina ſua veritatem pro[pu-]
gnare & tueri.

*Quàm ſit difficile, ſacram ſcripturam, aut fidei noſtræ myſteria intelligere: & nō eſſe mulierum eadē ſcrutari.*

Iam tum enim patet, eos, quos Dominus, ad id nobis decla[ran-]
dum [...]

dam conſtituit, ad hoc conniti debere, & illos in hoc etiam fructum aliquem facere: nos mulieres verò cum ſimplicitate id accipere debere, quod nobis Dominus dederit, quod autem non dederit non eſt quòd nos ipſas in eo intelligendo torqueamus: ſed & potiùs, quòd gaudeamus, conſiderando, Deum ac Dominum noſtrũ tam eſſe magnum, vt vel vnicũ eius verbũ mille in ſe myſteria contineat, ac proinde id ipſæ non ſatis benè intelligamus. Minimè certè meum id foret, ſi Latino, Hebraico, aut Græco in idiomate id legeretur: verum, quàm in noſtra lingua Hiſpanica & materna etiam multa in Dauidicis Pſalmis occurrunt: in quibus dũ vel Hiſpanicũ nobis declaratur, tã id nobis obſcurũ eſt, quàm ipſum Latinũ. Quapropter ſemper vobis cauete, ne cogitationẽ veſtram his impẽdatis, neu cerebrum torqueatis: nã mulieres plura opus non habent, quàm quæ ingenio ipſarum ſufficient: & vel hoc ſi fiat, Dominus nobis gratiam fecerit.

*Deus Animæ cùm ſacra ſcriptura intelligẽtiam dabit, eam ipſa repellere non debet.*

Cùm verò Maieſtas illius id ſine vllo noſtro labore & cura nobis dare volet, nos mulieres ſenſum ſtatim inueniemus: in reliquis verò humiliemus nos, & (ſicuti dixi) gaudeamus oportet, quòd Dominum habeamus, cuius verba, etiam lingua noſtra materna propoſita, intelligi nequeunt.

*Etſi quædã Cãticorum verba viliæ humilia, nec tam decentia videantur: bene tamen intellecta, maxima includunt myſteria & ſẽſus.*

Videbuntur fortaſſe vobis quædam in Canticis eſſe, quæ alio modo & ſtylo dici poſſent. ſanè, prout quidem noſtra ſtupiditas eſt, id ita vobis videri non mirarer. vnde etiam quoſdam audiui dicentes ſe ab ijs audiendis aurem potiùs auertere. Ah (Deus bone!) quanta noſtra miſeria eſt! nam, vti animalibus veneniatis, dũ quid comedũt, hoc in venenum vertitur: ad eundem prorſus modum accidit nobis. Nã cùm è tã magnis gratijs, quas Dñs nobis hic facit (dũ ſcilicet nos magna illa bona, quę illũ diligens anima habet, intelligere facit, atq; dum eam, vt cum Maieſtate ſua loqui & deliciari poſſit, animat) maiorem Dei noſtri amorem nos oporteret elicere; eos, prô dolor! elicimus ſenſus, qui tenuis noſtri erga Deum amoris ſenſui conformes ſint. Quàm, ô Domine, exiguum ex omnibus quæ nobis feciſti, bonis fructum colligimus. Maieſtas tua ſemper modos & inuẽtiones quæritat, ad amorem quò nos proſequeris, declarandum: nos verò, vti in te amando parum verſati, tam parui id facimus, vt cogitationes noſtræ, ceu malè in hoc exercitatorum, eò ferantur vbi ſemper ſunt, & magna illa myſteria, quæ lingua hæc à ſpiritu ſancto prolata in ſe includit, cogitare negligentes, ab ijſdem nos ſubducamus. Quid autẽ, ad nos amore ipſius accendendos, magis erat neceſſarium, quàm cogitare, nõ ſine maxima ratione hunc ſtylum talem eſſe? Memini ſanè, audiſſe me Religioſi cuiuſdam cõcionem, & quidẽ ſatis egregiã & admi-

admirabilem,ſed quæ potiſſimũ circa delicias,quã cũDeo ſpõſa ha-
bebat,verſaretur.huius autẽ occaſione tantus eſt in auditorio
excitatus,& quæcumq; dicebat (loquebatur namq; de amore &
cionem quam habebat de mandato & præcepto,ſuper quæ Can-
ticorũ verba fũdabat) tam malam in partem accepta ſunt,vt
cũ mirarer. Vnde ad oculũ video,rei huius (ſicuti iã dixi) non
cauſam quàm quòd tam malè in amore Dei nos exerceremus,
non poſſe putemus, animam huiuſmodi verba cũ Deo ſuo
Verùm noui ego perſonas nonnullas,quę è contra tam
bonum,tam ingentes delicias,& tantam inter timores quibus
rebantur,ſecuritatẽ,hinc hauſere,vt ſæpenumerò ingentes D
gratias agant,quòd tam ſingulare & ſalutare animabus,quæ
eum amore proſequuntur,atq; intelligũt & vident,quòd
ſeſe Deus humiliet,remediũ & iuuamen reliquerit.etenim,
dentẽ rei huius haberent experientiam, non poſſent non
noui quãdã, quæ ad multos certè annos plurimis in timoribus
nulla autem omnino res eam aſſecurare & tutã reddere poterat,
quòd tandem Domino placuit,illam quædã Cãtici Canticorum
audire:ex quibus demũ didicit & collegit, animam ſuã recta
cedere. Quia,ſicuti dixi,ideo id fieri mihi perſuadeo,quòd anima
ſum ſuũ Chriſtũ diligens,tum demũ omnes haſce delicias,
& mortes,afflictiones & delectationes ac gaudia cũ ipſo habe
ꝓpter e : iã omnia mũdi gaudia à ſe abdicauit,& in manus eius
reſignauit & cõiecit.Idq; non verbo dũtaxat (vti nõnullos
ſtat) ſed ſinceriſſimo & veriſſimo cũ amore,qui per opera
Quàm ô cariſſimæ,Deus,bonus renumerator & debitor
betis quoq; Dominũ ac ſponsũ,qui nihil eſt quin videat &
quapropter, quantumuis id admodum exiguum & paruum
propter eum quidquid facere poteſtis: etenim Maieſtas eius
ſum remunerabitur tamquam ſi eſſet quid magni momenti,
nim aliud ſpectat quàm amorem,ex quo id facietis.
Quare in hoc finem facio & dico,vt in eo quod in ſacra
ra,aut fidei noſtræ myſterijs,non intelligitis,diutius nõ immoremini
quam vobis dixi:neq; etiam admirationẽ vobis moueant
tiua illa verba,quæ Deum ad animam loqui, in illis audietis
vero,quo nos ille proſecutus eſt,& etiamnũ proſequitur,
mirari cogit,& velut impotem reddit,cum ipſi ſimus qui
do eum ipſa intelligo, & video ipſum non per verba illũ
monſtrare,vt nõ magis operibus ipſis eũ declararit. Cũ vſq;
do pueneritis,vos rogo, vt in recogitãdo eo ꝙ nobis ipſe dec
& pro nobis fecit,nonnihil immoremini;cumque amorem,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nobis exhibet, ad oculum videbitis tam eſſe potentem & fortem, vt communica is eum pati faciat, quibus is verbis declarari poteſt, quæ non de nouo nobis admirationem moueant.

Vt ergo ad id quod dicere cæperam reuertar, magna in hiſce verbis Sacramenta, & ſublimia myſteria lateant oportet, eaque tanti ponderis, vt mihi viri docti aliquando dixerint (cum eos ipſa rogarem, mihi declararent quidnam in illis ſpiritus ſanctus dicere velit, necnon verum eorum ſenſum exponerent) & etiamnum dicant, multas à Doctoribus ſuper eadem ſcriptas eſſe expoſitiones, & nondum eos ſenſum qui ſatisfaciat poſſe adferre. Vnde vobis arrogantia & præſumptio mea nimis quam magna eſſe videbitur, quòd ipſa aliquid è Canticis vobis declarare præſumam. Sed hoc, mihi propoſitum non eſt (quod nimis quam parum, ipſa humilis ſim) neque etiam veritatis ſcopum attingere me poſſe ipſa mihi perſuadeo.

Quod autem hic ſpecto, eſt, quòd, quemadmodum ipſa me eo, quod mihi Dominus intelligere dat, cùm aliquid ex iis vos dicentes audio, oblecto, id forſitan ita vos etiam conſolaturum ſit ſicuti me. &, ſi id forte non fuerit ad propoſitum eius rei quam dicere cupio, id ipſa velut ad propoſitum meum faciens accipio. nam dum à doctrinæ Eccleſiæ & Sanctorum, præſcripto non egredimur (propterea namque viri litterati horum intelligentes prius ea examinabunt, quam in manus veſtras veniant) dat nobis Dominus ad hos (vti quidem exiſtimo) licentiam: quemadmodum eam nobis dat, vt, dum de ſacra eius paſſione meditamur, ſæpe alia quædam laborioſa & pænoſa, quæ Dominus tunc hauddubiè ſubijt, præter ea quæ Euangeliſtæ conſcripſere, recogitemus: cumque id non ex aliqua fiat curioſitate (ſicuti in principio dixi) ſed id dumtaxat arripiendo, quod ipſius Maieſtas nobis ſuggeſſerit & intelligẽdum dederit: certa ſum, graue illi non eſſe, nos aliquã è verbis ipſius & operibus cõſolationẽ & recreationem capere. Quẽadmodũ gauderet & recreationẽ ſentiret Rex, ſi pauperculũ paſtorculũ, quem amaret, & erga quẽ afficeretur, videret, dũ veſtes auratas cerneret, admirabundũ, & cogitantem, quid eſt hoc, & quomodo eæ confectæ ſunt? Sic & nos mulieres nõ tam procul à diuitiarũ Domini fruitione, earũq; diuulgatione eſſe oportet, vt eas taceamus, credentes nos eas bene intelligere, ſed eas viris doctis patefacere: &, ſiquidem hi eas approbent, eaſdẽ alijs cõmunicare. Adeo vt nequidem ipſa me ſcopũ in ijs quæ ſcribo (quod Dominus nouit) puté tacturã, ſed factutã vti paſtorculus ille quẽ dixi. Conſolationi certe mihi eſt, vobis, vtpote filiabus meis, meditationes meas proponere: in quo hauddubiè multæ intercurrent ineptiæ & abſurditates: quamobrem, Rege hoc meo fauente,

nec non bona cum Confeſſarij mei venia, incipio. Det ille, vt, ſic res alias, quas dixi, me feliciter abſoluere & ſcopum tangere voluit, aut certè Maieſtas eius pro me (forſan vt in veſtram cedant) etiam in hac ſcopum debitum attingam: ſin minus, ſaltem, quod huic materiæ, quæ tam diuinæ eſt, vt eam ipſa gna non ſim, conſcribendæ, aut mente peruoluendæ impendam, ne impenſum reputo.

Videtur ergo mihi, in ijs verbis quæ in initio dixi, ſponſa tertia quadam perſona loqui: quæ eſt illa eadē apud quam Docere vult ſpiritus ſanctus, duas in Chriſto eſſe naturas, vnā & alteram humanā. Cui conceptui nō inhæreo: etenim propoſi hi eſt loqui de eo, quòd nobis qui orationi ſtudemus, vtile videtur: quāquam omnia vtilia ſunt ad animandā & admiratione plendam animā, quæ ardenti quodā effectu ac deſiderio Domi amat. Nouit Maieſtas eius, etſi ſubinde aliquot horum verborum poſitionem audiuerim, & ea mihi petenti ab alijs declarata men valde rarò fuiſſe, & vix me illarum recordari, eò quòd lem habeam memoriam: vnde illas hîc depromere non poter id dumtaxat quod me Dominus edocebit, & ad propoſitum faciet: & certè quoad exordium & principium hoc, nihil, quod dem memini, vmquam audiui.

*Oſculetur me oſculo oris ſui.* Quænam, ò Domine & Deus meus, ſunt verba, vt ea vermiculus creatori ſuo dicat? Benedictus Domine mi, qui tam diuerſimodè nos docere dignatus es. Rex meus, verbum hoc dicere audeat, niſi te concedente & tente? Eſt certè res, quæ hominem admiratione compleat, vnde fortè mirabitur me dicere, quòd ea nullus dicere audeat.

Dicent me ſtupidam & ignaram eſſe: quia non vult ſponſa

*Significatio verbi huius oſculum.*

dicere, eò quòd verba illa *oſculum & os* multas patiuntur ſignifica nes. clarum eſt enim, nos illa verba Deo dicere non poſſe: proinde eſt homines ſimpliciores hęc non legere. fateor equi multos illa habere ſenſus: attamen anima, quæ amore ita incr vt penè deliret, & ſui impos ſit, nullum habere vult, ſed tantùm ba hæc proloqui, ne Dominus hoc illi auferat. Quid eſt, Deus quod adeò miremur? an non potius eſt, opus ipſum admirari ſanctiſſimum altaris Sacramentum accedimus?

Cogitabam ipſa præterea, num forſan ſponſa illam ſibi tiā peteret, quā Chriſtus poſtea nobis præſtitit, quando, ſter cibus factus eſt. Cogitabā adhæc, num ſummam & arctam iunctionē & vnionē poſtularet, nimirū vt Deus fieret homo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

illā, q̄ cū humano genere ipſe inijt. Certū namq; eſt, oſculum magnæ cuiuſdam pacis & amicitiæ inter duas perſonas, ſignum eſſe. Quod autem pacis ſint modi & genera, Dominus det vt intelligere valeamus. Vnam rem antequam vlteriùs procedam, hic dicere volo, quæ (vt mihi quidem videtur) notatu digna eſt, quamquam alij loco & tempori magis conueniret, ſed hic dicam, ne eiuſdem obliuiſcamur, quod futurum certè ſcio; nimirum plures eſſe qui ad ſanctiſſimum Altaris Sacramentum (vtinam verò mentiar!) grauiſſimis in peccatis mortalibus conſtituti accedant: qui ſi animam præ amore Dei mortuam, hæc verba proferentem audirent, ſummopere mirarentur, ipſamque inſignis audaciæ inſimularent. Hoc ſaltem certò ſcio ipſos hiſce & alijs id genus verbis, quæ in Canticis occurrunt, id minimè dicturos. (Amor verò illa dicit, quem quia non habent, hinc quotidie Cantica legere deberent:) & ſeſe in illis non exercitaturos, imò illa ne quidem proferre auſuros: nam reuera illa etiam dumtaxat audita, timorem homini inijciunt, quòd magnam Maieſtatem includant. Certè nimis quàm magnam tu, Domine, in Sanctiſſimo Sacramento Maieſtatem præfers & exhibes; ſed hi quòd fidem viuam non habeant, ſed mortuam conſiderant, te ſub ſpecie panis tam humilem; hinc nihil illis loqueris; quòd ipſi id non mereantur audire. Vnde fit, vt tam ſint in peccando audaces.

Quamobrem verba hæc verè timorem quemdam per ſe inijcerent, ſi ſibi præſens eſſet is qui illa profert, ad litteram & nudè accepta; non vero alijs, quos Dominus amor noſter extra ſe rapuit. Ignoſcetis mihi, quod hoc, alijs etiam plura, quamuis aliqua in eo ſit audacia, dicam. At Domine mi, ſi oſculum pacem & amicitiam denotet, cur te animæ non rogent, vt pacem cum ipſis habeas? quid autem ea melius à te petere poſſumus? quod autem ego, Domine mi, rogo, ideſt, vt hanc tu mihi pacem cum *oſculo oris* tui concedere digneris. Et eſt hæc, cariſſimæ, ſublimiſsima quædam petitio, vti poſtea vobis oſtendam.

(∵)

## CAPVT II.

*NOVEM PACIS FALSAE, AMORIS IMPERFECTI, ET Orationis illuſoriæ modi proponuntur Eſt hæc ſummi momenti doctrina ad verum amorem intelligendum, vtque ſeſe animæ examinent, ac videant, per quas imperfectiones ſtet, quo minus ad eam quam deſiderant, perfectionem perueniant.*

*Nouem falſa pacis modi*

*Primus eorũ qui in peccato mortali ſunt.*

LIberet nos Deus à multis modis pacis, quam mundam habet, & numquam nos ſinat eam experiri, quoniam illa ad perpetuũ bellum tendit. Quando ſcilicet mundanus, quiſpiam valdè quietè & magna in pace viuit, ſi in maximis peccatis cõſtitutus, & in vitijs ſuis tam agit ſecurè, vt eum conſcientia de re nulla remordeat.

Iam tum legiſtis, pacem hanc velut ſignum eſſe, diabolum & ipſū inter ſe amicos eſſe, & illum huic, quamdiu viuit bellum inferre nolle: nam nonnulli (prout quidem illorum malitia eſt) quo id bellum ſubterfugiant, (at non ex amore Dei) aliquatenus quidem ad Deum conuertentur, vitam ſuam emendantes; qui tamen hac via incedũt, & tales ſunt, numquam in eius obſequio perſeuerabunt. quod quia diabolus probè nouit, hinc eis pro libitu de nouo voluptatum ſenſum inijcit, ipſique denuo eius amici fiunt, vſque dum tandẽ illis oſtendat, quàm falſa ipſorum pax eſſet. De illis non eſt quod loquar: tales ſint in mundo; nam in Domino fore confido, tantum inter vos malum minimè inueniendum.

*Secundus, Religioſorũ relaxatorũ.*

Poſſet quoque diabolus aliã paruis in rebus pacem ordiri, ſemper porro, cariſsimæ nos, quoad viuimus, timere debemus: quippe quando Religioſa aliquibus in rebus, quæ in ſe paruæ eſſe videntur, relaxationem quærere incipit, & ipſam diu in illis perſeuerantem conſcientia nullatenus remordet, mala hæc pax eſt, & poteſt ei hac via diabolus plurimũ nocere & varia mala inferre. Tale quid, verbi gratia, eſt alicuius conſtitutionis trãſgreſſio: quæ quidẽ in ſe peccatũ non eſt, adhæc exactè aut ſolicitè nõ exequi ꝙ fieri ſuperior iniungit, etiamſi ſine malitia id fiat. Is namq; Dei locum occupat, & bonum nobis eſt ſemper ei obedire: ad hoc quippe venimus, quin & videre nos aſſiduè oportet quid is fieri velit Deniq; in alijs multis reculis indies occurrentibus, quæ eſto in ſeipſis non videantur eſſe peccatum, ſunt tamen imperfectiones: & eas neceſſe eſt interuenire, quia miſeræ res ſumus. Non dico ipſa, quod non ſint: ſed dico, vt dum committunt, cõmiſſa ſentiant, ac ſeſe deliquiſſe norint: niſi enim

ſet vti dico, fieri poteſt, vt diabolus propterea exultet, & animam paulatim inſenſibilem reddat. Si harum recularum quampiam diabolum conſequi contingat, non parum (mihi credite, cariſsimæ,) is effecerit, & rem ſuam auxerit.

Vlterius autem hac in materia progredi timeo; idcircò, (propter amorem Dei vos rogo) ſerio ſuper vos ipſas reflectite & circumſpicite: neceſſe enim eſt in hac vita certamen & bellũ eſſe; cum poſſibile non ſit, vt tot inter inimicos, ſecuri & in pace agamus; ſed ſoliciti & circũſpecti ſemper eſſe debemus, ac videre quomodo, tũ in interioribus, tum exterioribus ambulemus. Quãobrẽ dico vobis, tametſi vobis aliquas Dominus in oratione gratias faciat, vbi tñ ab eadem ſurrexeritis, ſexcenta vobis impedimenta & tendiculæ occurrent, ſexcentę quoq; peccandi occaſiunculæ; quales ſunt, hoc è negligentia tranſgredi & violare, illud nõ rectè & prout oportet exequi; adhæc turbationes interiores & tentationes. Nõ dico tñ ſemper aut plerũq; ita euenturũ, vti nec, numquã tentationes aut turbationes nobis ſuperuenturas; imò verò eas habere aliquando ſumma quædã Domini gratia ac beneficium eſt, ita namque melius proficit anima: nam non poſſumus Angeli in hoc mundo eſſe, neq; enim ea noſtra natura eſt.

Vt verum fatear, minimè me anima tunc ſollicitam & anxiam reddit, cum eam in maximis tentationibus conſtitutam video: ſi enim amorem & timorem Domini habeat, magnum ex ijs non dubiè fructum referet. Iam tum id ipſa per experientiã noui. At ſi eas ſemper in quiete, & omnis belli expertes viuere videam (etenim in nonnullas incidi, quas etſi numquam Deum viderem offendere, ſemper tamen me ſollicitam reddebant) numquam de ijs ſecura ſum: vnde ego eas, ſi poſſim ſemper probo & tento (quia dæmon id non facit) vt videãt ſcilicet quid ſint. Sed paucas tales reperi. Attamẽ fieri poteſt, eò quòd animã ad ſublimẽ quamdam contemplationẽ Dñs iã euehat, vt hũc precãdi modũ quis cõſequatur, & ordinariè interiùs tale gaudiũ ſẽtiat. Quiuis ipſa mihi perſuadeam, hos id nõ intelligere, cũq; ipsũ iã depurarint, ſuas eos pugnulas (eſto pauciores) ſubinde habere video.

Sed vt verum fatear, equidem animabus illis non inuideo: & hoc ipſum ſubinde attentiùs conſideraui. At illas video multo magis proficere, quæ eas quæ dictæ ſunt, pugnas & repugnantias in ſe aſſidue ſentiunt, quin & in rebus ad perfectionem ſpectantibus tam ſublimem orandi modum habere, quàm hic in terra intelligere poſſumus.

Miſſas faciam⁹ animas illas, q̃, poſtq̃ ad multos años hũc in ſe cõſiliũ paſſæ ſunt, talẽ progreſsũ interim fecere, itaque mortificatę sũt, vt mũdo ſe velut mortuas eſſe sẽtiãt. Reliquæ verò, ſolẽt q̃dẽ ordinariè

pacem

pacem habere, non tamen talem, vt imperfectiones quas admi
non ſentiant, & vt hæ ipſas valde non affligant. Quãobrem c
mæ, per varias ac multiplices vias Dominus animas conducit
ſemper) vti antè dixi) vobis timeo, quando quam commi
perfectio nullum omnino vobis ſcrupulum & dolorem mo
ob peccatum, tametſi veniale id ſit, iamtum conſtat; vos com
& dolere interius debere quemadmodum (Deo laus) iam q
ſentire vos credo.

Vnum notate, & illius, (amore mei) recordemini: annon,
quis viuus eſt, quantumuis parum ab acicula pungatur, id ſen
& ſpinulæ puncturam, quantumuis ea parua ſit? annon ergo,
ma mortua non ſit, ſed viuum quemdam Dei amorem habe
gna huius gratia eſt, quod, dum vel minimam regulam, quæ
profeſſæ ſumus, & facere tenemur, conformis non ſit, agit,
ſentiat? Quam ea anima, cui hanc Deus ſolicitudinem & an
ingerit, Maieſtati illius lectulum roſis & floribus inſternit,
impoſſibile ſit, ipſum ad cum illa deliciandum aut recre
nolle venire; eſto aliquanto ſerius? Deus bone, quid nos Reli
monaſterio agimus, tametſi mundum relinquamus? ad qui
mus? Quidnam vero potius ac melius agamus, quam ſponſo
in animabus noſtris lectulos concinnare? eum namque in
admittimus, dum profeſſionem fecimus.

Intelligant porro me animæ illæ quæ ſcrupuloſæ erant
loquor enim de imperfectione quæ nonniſi interdum eueni
de imperfectionibus, quæ percipi aut ſemper ſentiri non que
de illo qui quidem eas ordinariè admittit, eas tamen parum
quod nihil ei eſſe videantur, quemque ſua propterea co
non remordet, nec ab ijs ſeſe emendare procurat. Quare ite
co, pacem hanc valde periculoſam eſſe, vtque ad hoc ipſæ
uertatis.

Quid ergo illis erit, quæ à regulæ ſuæ obſeruantia & vi
relaxationem multum reciderunt? non ſinat autem Deus
talem reperiri. Diuerſimodè relaxationem hanc diabolus
ſatagere debet, Deo ob peccata noſtra id permittente. Non
tem, quod pluribus de eo hic agam, nam pauculis illis qu
ſunt, vos viſum eſt commonere volui.

Tranſeamus ad amicitiam & pacem illam, quam nobis i
ne Dominus oſtendere iam incipit; de qua id dicam, quod
ipſius circa illam mihi declarare voluerit. ceterùm de ea p
nulla vobis dicere mihi viſum eſt, quam dat mundus,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

propria noſtra ſenſualitas. Nam, (tametſi id alibi ab alijs meliùs tractatum & traditum ſit, quàm ipſa id dicere poſſem) tamen non habebitis fortaſſe pecuniam vnde eos libros coëmatis, quod pauperes ſitis, nec forſan erit, qui eos vobis in eleemoſynam det: hoc verò ſcriptum manet domi inter nos, atque in eo omnia ſimul & cõiuncta habentur.

Poſſet quis forſan in ea pace quam mundus dat, decipi, & quidem diuerſis modis, aliquos antè hic referam, quo noſtram ipſę ſortē deploremus, & maximopere doleamus, vtpote quę culpa noſtra ad excellentē Dei amicitiā nō peruenimus, ſed q̃ parua quadā contentæ ſumus. Vbinā verò, Domine, ea nobis ſatis non eſſet, ſed recordaremur, præmium & magnum eſſe, & finem non habiturum, adhæc, poſtquam iam ad hanc tam magnam amicitiam perueneriṁus, Dominum id nobis hoc in mundo etiam dare; quin etiam, multos ad montis radicem manere, qui ad eius culmen facile poſſent pertingere. Sæpius hoc ipſum in alijs reculis quas vobis ſcripſi, vobis inculcaui & dixi, & nunc iterum repeto, ac rogo, vt cogitationes noſtræ ſemper vigorentur, & animoſæ reddantur eo quod pòſt futurum eſt. Dominus autem det vobis gratiam, vt opera quoque talia ſint: & permultum in hoc ſitum eſſe, vobis perſuaſum ſit.

Sunt deinde alij, qui Domini amicitiam iam adepti erant (eo quòd peccata ſua ritè confeſsi ſunt, & eorum ipſos pænituit) ſed vix duo tranſeunt dies, quin rurſus in eadem prolabantur. Certa autem ſum, non hanc eſſe amicitiam & pacem, quam ſponſa petit. Quamobrem, chariſsimæ, quoties imperfectionem quampiam commiſiſtis, nolite toties ad confeſſarium, quo hanc ei aperiatis, recurrere. Sine illis, fateor, viuere non poſſumus; ſed eæ ſaltē varientur & mutentur, ne quas radices in nobis agant, quæ poſtea nonniſi ægerrimè potuerunt euelli, quin & alias multas à ſe egerminare & producere poſſent. Si enim planta vel arbuſcula quæpiam plantata, quam quotidie irrigamus, tandem tam fieri poteſt magna, vt ad eam euellendam poſtea ligone & rutella opus ſit: pari modo ſeſe res habere videt, ſi quotidie vnam eandemq; imperfectionem (quantumuis ea parua ſit) admittamus: niſi eam emendare & corrigere ſatagamus: at ſi vno die aut biduo quidem illa plantetur, at ſtatim euellatur, facili id negotio fit. Hoc verò in oratione veſtra petatis oportet à Domino: nam à nobis ipſis parum præſtare poſſumus, imò verò malum ipſum etiam adaugebimus. & in horribili iudicio quod in hora mortis peragetur, permagni id noſtra intererit, illarum præſertim quas Iudex ipſe in hac

*Tertia eorũ qui poſtquã ſunt cõfeſſi, eadem rurſus peccata cõmittunt.*

vitæ ſibi in ſpõſas delegit. O ſummã Dei dignitatẽ, quæ nos ſomnolẽ-
tos excitet, & feruenter incedere faciat: facite ergo Domini & Regis
huius noſtri volũtatẽ: ſed q̃ hi malè amicitiã rependunt, cùm iterum
rurſus mortales eius inimici fiant! Ingens certè Dei eſt miſericordia;
quem .n. tã tolerabilẽ, facilẽ & accõmodabilẽ amicũ reperiemus?
quãuis hæc iniuria nõniſi ſemel inter duos amicos accidit, nũquam
tñ illa memoria excidet, nec tñ fideles hi exinde inter ſe amici ſunt, vt
antea fuerunt: quoties verò hi tali modo in Dei noſtri amicitia
da deficiẽt, & per quot annos ille nos hoc modo expectet? Bene-
dictus eſto tu, Dñe mi, qui tanta cũ pietate nos ſuſtines, vt tuæ
magnitudinis videaris, ne pro merito, & prout quidẽ conueniret
ret, tã perfidã ꝓditionẽ, qualis hęc eſt, caſtiges. Stat⁹ hic mihi pe-
riculos⁹ eſſe videtᷣ: nã tametſi ea Dei ſit miſericordia, q̃ oẽs vident, ni-
hilominus multos ſæpe ſine peccatorũ cõfeſſione emori cernimus.
Ne vero in tã periculoſo ſtatu agatis, liberet vos Deus ꝓ eo q̃ ...

*Quarta illorum, qui ſponte & ex propoſito peccata venialia committunt.*

Eſt & alia mundi amicitia & pax, minus mala quàm prior, quæ
illorum, qui ſerio cauent, ne quo peccato mortali Deum offendant.
Qui huc peruenerunt, multum ſanè præſtitere, prout quidem mun-
dus ſceleratus eſt. hi tametſi ſibi à peccatis mortalibus caueant, nihil-
ominus aliquando, quantum quidem credo, mortaliter peccant; nam
venialia parum curant, quantumuis ea etiam multa perdiem ...
itaque non procul à mortalibus ſunt. Dicere quippe non verentur,
*Hoccine tu cures?* Et multi (quos quidem audiui) dicunt, *Ad hoc tollendum*
*conducit aqua luſtralis, & alia illa remedia, quæ Mater noſtra Eccleſia ...*
Quæ ſanè res eſt quàm maximè deploranda. Per amorẽ Dei ...
go, cariſſimæ, vt in hoc diligentes ſitis, numquam videlicet peccatum
vllum veniale (quantumlibet exiguum) idcirco admittere ...
quod hoc iſthoc remedio tolli noueritis. Etenim permagni ...
conſcientiam ſemper tã mundã habere, nullum vt impedimentum
vos à perfecta illa amicitia quam petit ſponſa, à Domino ...
pediat. Nõ eſt autem amicitia illa, quæ iam dicta eſt, vtpote quæ ...
modum ſuſpecta eſt, idque ob plurimas rationes. Tendit ...
delicias, quæ homini impedimento ſunt; adhæc viam ipſa ...
in magnum teporẽ quis incidat, neque ſatis intelligat ſitne ...
agit, veniale peccatũ, aut mortale. Deus hoc à vobis malum ...
quod enim ſe magna peccata habere non putẽt, qualia in aliis ...
hinc in falſa pace verſantur. Præterea perfectæ humilitatis ...
proximos vt valdè improbos iudicare: fieri namq; poteſt, vt ...
illis ſint meliores, quod ſua hi peccata deplorant, & interdum ...
cũ dolore & pænitentia, & fortaſſe meliore cũ emendatione ...

ſine quam ipſi: itaque fiet, vt exinde numquam Deum offendant, nec in modico nec in magno. at alii illi, quod ſeſe nullũ grauiũ illorũ delictorum agere exiſtiment, magis ſeſe in ſuis deliciis & recreationibus diffundunt: hi orationes ſuas vocales vt plurimum ſatis bene recitabunt, quia adeò ſubtilia & delicata non ferunt.

Eſt & aliud quoddam amicitiæ & pacis genus, quã videlicet Dominus dare incipit ijs, qui quidem nulla prorſus in re illũ vellent offendere: interim tñ à peccati occaſionibus vſq; adeo ſe nõ auellunt. Et licèt ſtata ſua orandi tẽpora ſæpè habeant, Dñs quoq; ipſis teneritudines quaſdã & lacrymas det: huius tamen vitæ cõmoda ac recreationes relinquere nollẽt, ſed eam cõmodã, ſuauem ac delicioſam vellent habere: ꝙ illis ad in gaudio & ſuauiter viuendũ quies illa & tranquillitas per oportuna videatur. Hoc autem vitæ genus multas mutationes & viciſſitudines includit: multũ proinde erit, ſi tales in virtute perſeuerent. Nã cũ ſeſe à voluptatibus & delicijs mundi non ſequeſtrant, ſtatim in via Domini deficere incipient, potentes quippe ſunt inimici, vt nos cõtra vim illorũ tueamur. Hæc cariſſimæ, nõ eſt pax quã ſponſa requirit: neq; vos illã etiã habere velitis, ſed ſẽper vos ipſas à quacũq; etiã minima occaſiuncula ſubtrahite, ſi modò animã indies proficere, & ipſæ in ſecuritate agere velitis. Certè neſcio, qua de cauſa vobis hæc dicã: ſed tm̃, vt pericula noueritis, q̃ ſita ſunt in eo, q cũ reſolutione & generosè à rebꝰ mũdanis vos nõ ſequeſtretis: id. n. ſi feceremꝰ, plurimas culpas euitaremꝰ, & multũ laboris declinaremꝰ.

*Quinta illorum qui peccandi occaſiones non deſerunt.*

Tot autem ſunt modi & viæ, quibus amicitiam cum animabus colere & tractare Dominus incipit, vt numquã mihi finem factura, videar, ſi omnes quos quidem intellexi hic referre vellem: Sum enim mulier: facient proindè id Confeſſarii, & ii qui particularius cum iis tractant; & certè nonnullæ me ſatis perplexam reddunt: nihil namque illis, quò minùs Dei amicæ ſint, deeſſe videtur. In particulari & nominatim vobis referam de quadam perſona, qua cum non ita pridẽ valdè familiariter egi. Erat hæc, frequentioris cõmunionis perſtudioſa & obſeruatrix, numquã de aliquo malè loquebatur, in oratione quoq; teneriores ſentiebat affectꝰ, in q; aſſidua agebat ſolitudine, habitabat nãq; ſola in domo ſua: moribus & alloquio ita erat blãda, nihil vt eorũ q̃ ipſi dicebant, eã ad iracundiã ꝓuocare poſſet (ꝙ certè ꝑ magnæ erat pfectionis) nullũ verbum malũ loquebatur, adhæc numq̃ nupſerat, & iã ea erat ætate, vt matrimoniũ inire iã nõ poſſet: atq; hæc in pace & animi æquitate multas cõtradictiones & obloquia paſſa erat. Itaq; cũ hæc omnia in illa viderẽ ac notarẽ, videbant hæc mihi animæ valdè ꝓuectæ, inq; oratione aſſiduæ, ſigna eſſe, eáq; in principio ꝑmagni faciebã, ꝙ nullũ eã peccatũ viderẽ cõmittere, ipsáq; ſeriò

*Sexta eorũ qui in aliquo vitio obdurnere.*

ũ cauere intelligerem. Vt ergo cum illa egi, intelligere cœpi,
omnia in ea pacifica & quieta eſſe, quam diu de illius honore
nuendo lędendoque non agebatur: ſed, cũ hoc vlcus tangeb
ſcientiam eius tam delicatam & teneram nõ eſſe, ſed ſatis ſtup
& craſſam. Intellexi namq;, eam, quamuis omnia quæ ei dice
æquo animo perferret, tñ punctũ aliq; honoris vel æſtimation
priæ habere. Et huic miſeriæ ſuæ adeò addicta erat, & velut
ta, ac tam libenter varia hinc inde audiebat & addiſcebat, vt
mirarer, quomodo hæc perſona vel ad horam ſola agere poſſ
hæc, cõmoditates corporis ſatis impensè conſectabatur. Qui
autẽ agebat, hoc velut inaurabat, & à peccato præſtabat im
&, quantum è rationibus quas dabat, colligebam, graue illi
ſtũ futurũ videbatur, ſi aliquibus in rebus, q; etiã nõ ſatis ſe ip
ligeret, iudicaret. nã in alijs quidẽ ſatis id notoriũ erat. Hinc
ſuſpensã & dubiã reddebat (& penè oẽs eã vt ſanctã reputab
perſecutionibus, quas ſe paſsã narrabat, aliquatenus occaſion
diſſe cœperi; illius autẽ modo agẽdi & ſanctitati nulla ratione

Hæc, vti & aliæ duæ animæ, quas in hac vita vidi, ex
dem quas ſuo ipſarum iudicio ſanctas fuiſſe nunc recordor,
mihi timoris incuſſerunt, quàm quæcumque peccatis obnox
vnquam vidi. Dominum rogate, cariſſimæ, nobis vt lum
eumque impensè laudate quòd vos ad monaſteria vocarit;
bus vos diabolus, quantumlibet conetur, tantum decipere
teſt, quantum eas quæ ſuis in ædibus agunt.

Quàm multæ porro ſunt animæ, quibus nihil, quo min
los euolent, deeſſe videtur! quòd perfectionem iuxta prop
*Septima eorum qui ſẽper propriũ iudicium ſequuntur.* iudicium & opinionem in omnibus ſequantur: ſed nullus e
ſas cognoſcat: quia in monaſterijs ſtatim & ſemper eas agno
ibi eas facere oportet nõ quod ipſę volunt, ſed quod ipſis
tur. In mũdo verò etſi homines verè eas cognoſcere velint,
Domino hæ placere volunt, ægrè poſſunt: quia quidquid d
ciũt, id iuxta propriã voluntatẽ faciũt: &, quãuis interdũ h
tur, in mortificatione tñ vſq; adeò ſe nõ exercẽt. Exceptis al
quib⁹ Dñs iã p aliquot annos lucẽ dedit. hi quippe ſemper
*Octaua eorũ qui Deo placere, & numquã hominibus diſplicere volunt.* habere deſiderant & procurant, qui ipſas intelligat, cuiq; ſe
ant. Magna autẽ humilitas exiguã de ſe ipſo confidentiam
&, etiamſi ſint doctiſſimi, alieno ſe iudicio & opinioni ſubi

Alij quoq; ſunt, qui omnia quidẽ propter Deũ reliquer
nec domũ, nec facultates habeãt, ad hæc ipſæ corporis cõm
adeò eis nõ ſapiãt, vt & ecõtra pænitẽtiã ſubeãt, è nulla de

huius re voluptatē capiant; quod eis iam tū Dominus lucē dederit, qua videant, quam ipſi ſint miſerabiles: at ſimul magno in honore ſunt, hinc nihil agere vellent, quod hominibus non æquè foret acceptum, ac Domino Magna hæc diſcretio eſt & prudentia: at valde difficulter hæc duo inter ſe conuenire & habitare poſſunt. Hoc verò res hæc maium habet, quod hi, ſuam imperfectionem fere etiam non intelligentes, ſemper magis in mundi partes quam Dei propendeant & dilaudent. Huiuſmodi animas vt plurimum affligit, male habet perturbati, quidquid de ipſis dicitur (etſi id etiam vere de ijs dicatur) ad hæc crucem in humeros non ſuſtollunt, nec amplectuntur, ſed trahunt velut per terram ſerpentem: itaque hæc eos affligit, grauat, defatigat, & diſcruciat, ſi enim ea dilecta & cara ſit, portatu facilis ac ſuauis eſt. Et eſt hoc, longe veriſſimum. Vnde nec hæc, amicitia eſt quam petit ſponſa. Quapropter videte, cariſſimæ, & quidem accuratè (cum quod initio dixi votum feceritis) ne in mundo ſitis, mundique rebus vos occuperis. Omnia vobis moleſta & crux ſunt, ſi reliqueritis quod maius eſt; relinquire mūdum, delicias, commoditates, gaudia diuitias, quæ eſto falſæ, hominem nihilominus recreant & demulcent. Quid timetis? Certè rem non intelligitis: nam eo quod fauorem aliquem, quem mundus vobis dare verbo vno poteſt, non reijciatis, hinc mille in vos ipſas curas & obligationes deuocatis: quæ tam ſunt multæ (ſiquidem mūdanis placere velimus) vt eas referri minimè ſit conſentaneum, ne æquo ſim longior, imò ne quidem poſſem.

*Nona puſillanimium, qui talentū ſuum abſcondunt, & in amore erga proximum deficiunt.*

Sunt demum & aliæ animæ (& in his finem facio,) in quibus, ſi modo animaduertatis, multa ſigna & indicia notabitis è quibus videre ſit eas quidē incipere proficere, ſed in vię medio hærere, nec progredi. Hæ quidē non curant quidquid penè homines de ſe dicunt, honorem quoq; parui pendunt: ſed in mortificatione & propriæ voluntatis abnegatione minime exercitatæ ſunt; vnde facilè apparet, quod mundus ex ipſarum corpore nondum emigrarit: & licet ad omnia patiendum paratę, & iam tum ſanctæ eſſę videantur; tamen in magni momenti rebus, in quibus de honore Dei agitur, identidem ſuum promouere, diuino neglecto, ſatagunt. Nō intelligunt hi hoc, ac putant ſeſe non mundum, ſed Deum vereri: quin etiam id quod aliquando poteſt euenire, & futura contingentia timent; atque ne opus quoddam pium, magni cuiuſdam mali, quod diabolus ipſis declarare & indicare videtur, (cum mille annis antè, futura prędicant) cauſam & principium eſſe poſſe. Non ſunt hæ animæ de illarum numero, quæ S. Petrum imitentur, vt ſe videlicet in mare abiiciant,

aut faciant quod multi alij ſancti fecerunt, qui animarum proximi cauſa propriam quietem ac vitam in diſcrimen vocarunt. Cupiunt hæ quidem animas Domino lucrari, at de quiete ſua ne hilum amittere, nec ſeſe in aliquod periculum conijcere. fides quoq; nó multum in his operatur, aut viget, quia ſemper proprias ſuas determinationes & propoſita ſequuntur. Vnū hoc obſeruaui, quàm paucissimas reperiri (præterquam in religione) qui fiduciam habeant à Deo alendos, & conſeruandos. Tantùm duas perſonas ſcio, quæ talem fiduciam habeant, quia iam tum ſciunt in Religione nihil ſibi defuturum: tametſi credā, eum qui verè propter ſolū Deū eā ingreditur, huius rei non recordaturum. at, quam multi, cariſſimæ, ea quæ habent nō deſererent, niſi hac de re certi & ſecuri eſſent? ſed quoniam aliis locis, in quibus quædam vobis monita & documenta dedi, multa de animabus his puſillanimibus ſum locuta, nec nō de damno quod puſillanimitas hæc illis adfert, atq; etiam de bono quod cauſare potest, vt videlicet, ſi opera magna eſſe nequeant, magna ſaltem habeant deſideria: hinc de illis plura non dicam, etſi numquam in dicendo defatigarer. Cum ergo Dominus ad tam eminentem eas ſtatum euocet, illi in eo ſeruiant, nec ſeſe præ puſillanimitate abſcondant. Nam licet Religioſi ſint, ſi fortè proximo (præſertim mulieres) prodeſſe nequeant: nihilominùs, per heroicas quaſdam determinationes & incenſum animarum iuuandarum zelum, oratio ipſorum efficax & potens erit: imò fortaſſe permittet Dominus, vt etiam ipſi tam in vita, quàm à morte proximo proſint, vti iam facit Sanctus frater Didacus, qui erat Laicus, nec præter opera ſeruilia quidquam præſtabat, & ecce, poſt tot à morte eius annos, memoriam illius Dominus renouat, vt nobis in exemplum ſit. quare Maieſtatē illius hoc nomine dilaudemus. Quocirca, cariſſimæ, ſi adhuc vos Dominus ad ſtatum vocauerit, parum vobis, quò minùs ad amicitiam & pacem quam ſponſa exigit, perueniatis, deeſt: quare valdè continuis cum lacrymis & ardentibus deſiderijs eam vos petere oportet: facite quidquid à parte veſtra facere poteritis, vt eam ipſe nobis concedat. liquet enim hanc eam pacem & amicitiam non eſſe quam ſponſa petit, quamquam ei adhuc magnam Dominus gratiam faciat, quem ad hunc ſtatum perducit: quia neminem ad hanc perducet, niſi qui ſe prius multa oratione pænitentia, humilitate, & alijs multis virtutibus exercuit. Sit Dominus, qui omnia dat, in perpetuum benedictus. Amen.

# CAPVT III.

## DE VERA PACE, DE AMORE DEI, ET VNIONE CVM *Chriſto, quæ ex oratione vnitiua naſcitur; & vocat eam ſponſa oſculum oris Dei.*

*Oſculetur me oſculo oris ſui.*

VEniamus iam, ô Sancta ſponſa, ad id quod ipſa poſtulas, videlicet ad Sanctam illam pacem, quæ animam animat & excitat, vt ſeſe ad cum omnibus qui in mundo ſunt confligendum diſponat, ipſa interim magna ſecuritate & pace fruatur. Item, quanta erit felicitas, hancce gratiam conſequi! vtpotè quæ nihil ſit aliud, quam quod anima ſeſe arctè cum Dei voluntate vniat, adeo vt nulla prorſus inter ipſum & illam ſit diuiſio, ſed vna eademque vtriuſque voluntas, eaque non verbo aut per ſola deſideria declarata, ſed opere demonſtrata. adeo vt, cognito, ſponſo aliquapiam re meliùs ſeruiri, tantum in ſe ipſa amorem ac deſiderium ei placendi ſentiat, vt ijs, quas intellectus ad cõtrariam faciendam ei rationes ſuggeret, minimè auſcultet, nec timores quos obijciet, curet; at ſolam fidem operari ſinat, adeò vt nec commodum proprium nec quietem intueatur, ſed omne ſuum bonum & vtilitatem in hoc ſitum eſſe, demum intelligat. *Quis ſit verus Dei amor, & cur vocetur oſculum.*

Dicetis forſitan hoc non rectè procedere, aut ita fieri debere, cum ſummè ſit laudabile, omnia ſua quadã cum diſcretione agere. Sed rem vnam noteris ac conſidereris velim, ſcilicet noſſe vos, Dominum, (prout quidem ſcire poteſtis, certo namque id nemo ſcire poteſt) petitionem veſtram exaudiſſe, & vos oſculo oris ſui oſculari. Si enim ex ipſis effectibus id perſpiciatis, non eſt, quod vlla amplius in re affectum defigatis, ſed vt veſtri ipſarum obliuiſcamini, quò tam amabili ſponſo placeatis.

Maieſtas illius varia per argumenta & ſigna ſentiri ſe facit ab ijs qui hac gratia fruuntur. Qualia ſunt, omnia quæ terræ huius ſunt deſpicere, & ea tam parui facere ac reuera in ſe ſunt, nullumque eius bonum deſiderare aut velle; quod iam tum ſciat & nouerit, quanta eorum ſit vanitas. Nullam ex aliquo, præter quam ijs qui Dominũ ſuum amant, recreationem capere. Vitæ huius tædio affici. Diuitias eo in numero & pretio habere, in quo haberi debent. Et alia id genus. Hæc ſcilicet ſunt, quæ eas docet is, qui ad ſimilem ipſas ſtatum euexit. Poſtquam ergo anima huc peruenit, non eſt quod timeat; niſi forte, ſe non promereri, quod Deus ſua vti opera velit, in quantum labores & occaſiones, vt ipſa ei (eſto magno ſuo impendio) ſeruire poſſit, ei ſuggerit. Adeò vt (ſicuti dixi) amor & fides

fides ſimul hic operentur,animaque vti nolit eo, quod intellectus proponit & docet. Eo quod hæc vnio, quæ inter ſponſum & ſponſam intercedit,longè alia & eminentiora eam edocuit, quæ intellectus non aſſequitur , quem proinde negligit & velut conculcat.

*Exempla vero renuntiationis voluntatis in Deum.*

Similitudine,quo melius intelligamus, rem declaremus. Ponamus,aliquem inter Mauros captiuum eſſe, cui pauper ſit pater,sed fidus amicus;à quo niſi redimatur,nulla prorſus eius redimendi ſuppetat ratio:vt vero hic eum redimat,non ſufficere eas quas habet facultates,ſed neceſſe eſſe, vt ipſemet ſeſe in ſeruiturem captiuitatis tradat. Ingens quidem,quo ipſum proſequitur amor exigit, vt amici libertatem antiquiorem cariorem que habeat,quàm propriam. At mox ſeſe ſubingerit diſcretio,multaſque adinueniens rationes, & ait,magis ipſum ſibi obligatum eſſe quàm alteri,ac fieri poſſe, vt minoris ipſe roboris ſit,quam alius ille captiuus,adhæc Mauros ipſum forſitan ad fidem abiurandam compulſuros, proinde conſultum non eſſe,in hoc ſeſe periculum vltro conijcere.atque alia plurima generis. O fortem & potentem Dei amorem! quam ei videntur omnia amanti eſſe poſſibilia! Beata illa anima, quæ hanc à Deo ſortem eſt conſecuta,quam Dominus hic ſupra omnes mundi labores molestias & pericula cõcedit:nã nullũ laborẽ formidat, quo minus bono ſponſo ac Dño ſeruiat; nec rationes expendit aut libras, quales illæ quas conſanguineus & amicus ille quẽ diximus, adferret.

Legeritis iam aliàs credo , cariſsimæ, de S. Paulino Epiſcopo Confeſſore, & quod nec propter filium, nec propter amicum,sed hauddubiè ad hanc tam felicem ſortem perueniſſet (quod nempe Dominus hanc illi pacem dediſſet) atque vt Maieſtati ipſius placeret,illumque in aliquo,è multis illis quæ noſtri cauſa ipſe fecerat, imitaretur,in Mauritaniam profectus ſit , quo ſeipsũ in filij viduæ cuiusdam,quæ illius redemptionem inſtanter & impenſe ab eo efflagitabat, locum captiuum ſiſteret. & legiſtis, id ei bene ſucceſſiſſe, & quantum ei inde bonum aduenerit, quoque cum lucro ſit ad ſuos reuerſus.

Hoc noſtro tempore noui ipſa quemdam, & vos etiam eum vidiſtis,quod me viſitatum venerit,cui Dominus tam ardentem charitatem dedit,vt multis cum lacrymis ſibi dari facultatem peteret, vt ſe captiui cuiuſdam loco poſſet in captiuitatem tradere. Egit de hac re mecum (erat autem ex Ordine Diſcalceatorum Franciſcanorum P.F.Petri de Alcantara:) poſtquam autem inſtantiſſimè hanc ſibi licentiam dari poſtulaſſet, tandem eam in ſcriptis à Generali ſuo

peculi

petrauit. Cumque iam bono ſuo deſiderio ſatisfacturus, quatuor Algierio leucis abeſſet, eum Dominus ad ſe ex hac vita ſuſtulit. Veriſimile autem eſt, magnum eum propterea præmium & coronam eſſe conſecutum. Quam multi vero diſcreti erant, qui id ſtoliditatem & veſaniam eſſe dicerent. Nobis quidem, qui ad tantum Domini amorem non pertingimus, ſtolidum id eſſe videtur. Sed quæ, quæſo, dari maior ſtultitia poteſt, quam hunc vitæ huius ſummum tanta in ſapientia & prudentia nobis finiri? Det Dominus digni vt inueniamur qui cælum ingrediamur, multo vero magis, vt de illorum numero ſimus, qui in Deo amando tantum progreſſum facere.

Iam tum ipſa video, inſigni illius, ad huiuſmodi res faciendas, adiumento & cooperatione opus eſſe: proinde vobis conſulo, cariſſimæ, vt cum ſponſa ſuauiſſimam hanc pacem ſemper ab eo petatis: ita namque fiet, vt omnes haſce inanes mundi timores euincatis, & magna cum tranquillitate & quiete eum oppugnetis. Anno certum eſt, eum, cui magnam hanc gratiam Deus faciet, vt nimirum animæ ipſius tanta cum amicitia ſeſe vniat, à bonis ipſius maximè Complectandum? nam reuera hæc non poſſunt à nobis prouenire; at dumtaxat ipſa petitio & deſiderium, vt hanc gratiam nobis præſtet. Ac ne hæc quidem, ſine ſpeciali eius auxilio & cooperatione. nam in reliquo, quid quæſo, vermiculus efficere poteſt? Cum peccatum ita eum inertem reddat ac miſerum, vt omnes virtutes ad infirmæ noſtræ naturæ modulum metiamur & imaginemur.

Quid ergo remedij, cariſſimæ? petere, ſcilicet, cum ſponſa, *oſculetur me Dominus*, &c. ſi ruſtica quæpiam cum Rege matrimonium iniret, & filios ei pareret, an non iam filij illi de Regio ſunt ſanguine? ſi ergo animæ cuidam tantam Dominus gratiam præſtet, vt is adeo ſine vlla diuiſione ſe illi vniat, quænam deſideria, quinam effectus, quinam heroicorum operum filij hinc enaſci poterunt, niſi per culpam ipſius ſteterit?

Puto ſanè, ſi magna cum fide & amore ad ſanctiſſimum altaris Sacramentum accederemus, nos vel vna vice ſic accedendo, prorſus locupletandas, quanto vero mag s, cum toties illuc accedimus? Sed videmur, eheu, non niſi pro forma ad ipſum accedere; hinc tam parum inde fructus recipimus.

Quam, ô miſer munde, faſcinas oculos & obturatos eos tenes, illorum qui in te viuunt, vt theſauros, quibus perpetuas diuitias cõparare poſſent, non videant! Quam, ô Domine cæli & terræ, poſſibile eſt, vt quis, etiamnum in hac mortali vita manens, te tam particulari amicitia frui poſſit? quid? Spiritum ſanctum tã clare id per hæc

*Amoris vnitiui effectus.*

*Hæc vnio & amor verus à perfecta communione Eucharistica naſcitur. Communicatio boni eſt principiũ vnionis.*

verba ſignificare, & nondum nos intelligere velle, quænam ſint deliciæ, quibus Maieſtas ipſius his in Canticis cum animabus diſſeruietur? quæ eius in illam illiciæ, quæ ſuauitates? Nam vel vnum horum verbum ſatis ſit, ad nos in te penitus liquefaciendos Benedictus eſto tu Domine; nam à parte tua nihil omnino amittemus. Per quot vias, per quot rationes & modos amorem nobis exhibes? videlicet per labores, per tam diram & immanem mortem, per tormenta, adhæc quotidie iniurias patiendo & ſemper ignoſcendo. Nec per hos ſolùm modos, verum etiam per verba quædam, quibus animam quæ te diligit vulneras, quibus in his Canticis eā compellas, & quæ in eam, vt ijs viciſsim te ipſa compellet, edoces: neſcio enim quomodo quis ea ferre queat, niſi tu, vt qui ea ſentit ferre valeat, opē ferens ac non quidem ſicuti ea ferri merentur, ſed prout ea ferre imbecillitas noſtra poteſt. Quamobrem Domine, aliud à te in hac vita non peto, quàm vt me *Oſculo oris tui oſculeris*; idque taliter, & tam intimè, vt licet ab hac amicitia & vnione me diuellere cupiam, planè non poſſim. Sit, obſecro, Domine vitę meæ, voluntas mea ita ſemper tua non recedendo ſubiecta, vt nihil omnino ſit quod me impediat, ac dicere poſſim (Deus meus, & gloria mea) *vbera tua meliora & ſuauiora eſſe vino.*

## CAPVT IV.

### DE DVLCI, SVAVI, ET DELICIOSO DEI AMORE, QVI *inde prouenit, quòd Deus in anima, per orationem quietis, quæ per vbera Dei repræſentatur, habitet.*

*Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

QVam magna, cariſsimæ, in hiſce verbis latent ſecreta! det Dominus, vt ea reipſa ſentire poſsimus: etenim nonniſi difficillimè poſſunt ea verbis declarari. Quando ergo Maieſtas illius, per magnam miſericordiam ſuam, hanc ſponſæ poſtulationem concedere dignatur, tali quadam amicitiæ ſpecie cum anima tractare incipit, vt illæ ſolæ intellecturæ id ſitis, quæ de facto id experimini. Multa de hac (vti dixi) in duobus libris (quos, ſi Domino placuerit, post mortem meam videbitis) ſcripſi, & quidem valdè ſpeciatim ac diffuſè, quia vos credo ijs opus habituras, vnde hic ea nonniſi obiter tangam: neſcio autem, an ijſdem ea verbis hic potero deſcribere, quæ Dominus illic mihi declarare dignatus eſt.

*Ille amor dulcis maioris dulcedi-*

In interiore ergo animæ parte magna quædā ſentitur ſuauitas, eaque tā ſingularis: ſatis vt ſentiatur & appareat, Dominū ei admodum vicinam eſſe. Non eſt hæc inſtar deuotionis illius, quæ hominibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nis eſt, quæ naſcitur ex aſſiſtentia Dei in anima.*

*Suauitatis huius principium.*

*Variæ animæ ſuauitates & guſtus.*

ſolet lacrymas elicere, & ad plorandum commonere; nam eſto hæ quamdam in illo teneritudinem cauſentur, quando aut ob paſſioné Domini, aut ob peccatum aliquod noſtrum ploramus; non tamé tã ea magnum quid eſt, atque hæc oratio de qua loquor; quam quietis nomino, ob eam quam in omnibus animæ potentijs excitat tranquillitatem; adeo vt Deum homo plane ad voluntatem & imperium ſuum habere videatur. Quamquam fatendum ſit, interdum eam & alio quodam modo ſentiri, quando nimirum anima adeo abſorpta non eſt; ſed in hac ſuauitate videtur totus homo, interior æquè atque exterior, confortari, tamquam ſi intra animæ medullas ſuauiſſimum quoddam vnguentum, adinſtar redolentiſſimæ cuiuſdam fragrantiæ, inijceretur. Nam vti, dum derepente ac ſubito in locum maxima quadam fragrantia, quam non vna ſola res, ſed multæ ſimul exhalãt, refertum ingredimur: neſcimus quiſnam is odor ſit, aut vnde promanet, ſed tamen ab eo totæ penetremur. Ad eundem modũ videtur ſuauiſſimus hic Dei noſtri amor in animam ingredi, idq; tãtacum ſuauitate, vt eam repleat, ſatisfaciat, ac delectet, intelligere tamen nequeat quid ſit. Hoc ſcilicet eſt, quod ſponſa hic conuenienter ad meum propoſitum dicit; *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Siquidem non intelligit, quomodo aut vndenam bonum hoc ingrediatur: vellet namque, ipſum minimè perdere, vellet non mouere ſe, ac ne oculos quidem ad videndum attollere, ne ipſum abeat aut ſe ſubducat. Et quoniam eo quo dixi loco, ſcripſi quid animam hic facere oporteat, quo fructum inde capiamus, (idque tantum, ad aliquid vobis ſignificandum & declarandum eorum de quibus hic tracto) aliud hic dicere nolo, quam Dominum iã tum animæ in hac amicitia oſtẽdere, ſe velle tã arctã ac particularẽ cũ ea amicitiã colere, nihil vt inter ambos diuiſum aut ſeparatũ ſit. hic vero magnæ ei veritates cõmunicãtur. Eſt enim lux hæc tam magna, vt eius viſum perſtringat, quo intelligere ipſa nequeat quid ſit lux, ipſáque mũdi huius vanitaté videre & intelligere faciat, eſto magiſtrum à quo edoceatur, non, bene videat. quamquam apertiſſimè intelligat & ſentiat, ipſum apud ſe eſſe. at tam bene edocta manet, eoſque in ſe percipit effectus, & in virtutibus practicandis fortitudinem, vt ſemetipſam poſtea non cognoſcat, & aliud facere, aut dicere nollet, quam Dominum laudare. Cùm autem in hac fruitione eſt, adeò eſt abſorpta & imbibita, vt non tam in ſe eſſe, quàm diuinam quandam ebrietatem pati videatur, vt, quid velit aut petat, neſciat. Deniq; nihil ſcit de ſeipſa: veruntamen adeò extra ſe non eſt, vt eorum quæ ſunt, non aliquid intelligat aut percipiat.

*Effectus orationis quietis.*

*Lux. Claritas. Robur in virtutibus.*

*De anima ſuſpenſione, quæ ab hac amoris dulcedine naſcitur.*

Porro cum opulentiſſimus hic ſponſus eas ditare, & maioribus delicijs cupit perfundere, adeo eas in ſe conuertit, vt, ſicuti dum quis ob nimiam delectationem & gaudium viribus deficit, animam ſuam diuinis illis brachijs ſuſpenſam eſſe, & diuino illi lateri & vberibus adhærere exiſtimet: vt aliud nô faciat quam frui, ſuſtentata nimirum lacte illo diuino, quo eam ſponſus ſuus lactat & ſuſtentat, ac ſemper meliorem reddit, quo ipſam poſſit delicijs perfundere, vtque quotidie plura mereatur.

Quando vero iam ab illo ſomno & cælesti ebrietate expergiſcitur, eſt velut conſternata atque attonita, & ſancta quadam ſtultitia affecta; vt mihi merito verba illa dicere poſſe videatur, *Meliora ſunt vbera tua vino.* Nam quando in ebrietate hac erat, putabat ſe vlterius non poſſe aſcendere: at cum ſe iam in altiore gradu conſtitutam, atque in immenſa illa Dei magnitudine plane detentam conſpicit, vt ſe iam magis corroboratam eſſe videat, eum tenerrimè & delicatiſſimè vberibus comparauit, dicens: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Nam quemadmodum infans neſcit quomodo creſcat, nec nouit quomodo ſugat; nam eo mamillam etiam non quærente, & nihil aliud faciente, ſæpe in os eius papilla ingeritur: ita & hic ſeſe res habet, nam anima quid de ſe fiat, & num aliquid faciat, prorſus ignorat, & non ſcit quomodo, aut vnde (imo ne quidem intelligere id poteſt) magnum hoc bonum ſibi aduenerit.

Non eritis porro, id, maximum bonum & gaudium eſſe, quod ab homine hac in vita guſtari poteſt, tametſi omnes mundi voluptates & deliciæ ſimul conglobarentur. Videt quippe ipſa ſe enutritam & melioratam, ac neſcit quando id promerita ſit: magnas quoque veritates edoctam, vt tamen magiſtrum à quo edocta ſit, non videat: virtutibus item corroboratam, ac delicijs delibutam ab eo qui ſcit, & poteſt id facere. Neſcit tamen, cui id comparet, niſi ſuaui recreationi & diſſuauiationi matris cuiuſpiam, infantulum ſuum valde diligentis, eum enutrientis & delicioſe habentis.

Det vtinam nobis, cariſſimæ, Dominus noſter, vt intelligere aut (vt melius dicam) guſtare (aliter enim ſi dicatur, intelligi non poteſt) poſſimus, qualis ſit animæ fruitio, quando ſic eſt conſtituta. Adſint nunc homines mundani cum ſuis diuitijs & dominijs, cum omnibus ſuis voluptatibus, honoribus & epulis; qui licet omnibus his ſine laboribus ijs quos hæc includunt (quod prorſus impoſſibile eſt) frui poſſent, numquam tamen, ne per mille quidem annos, ad id gaudium & voluptatem pertingent, quod anima, quam Dominus huncad ſtatum euchit, vno momento ſentit. Si enim S. Paulus dicat, non

Rom. 8.

cat, nõ eſſe condignas paſſiones & labores huius mundi ad gloriam quam exſpectamus: ego ſane dico, eas non eſſe condignas, nec me-rerj, vt vel vnam voluptatis, recreationis & gaudij illius, quam Dominus hic dat animæ, horam habeant; nec vllum gaudium ac voluptatem cum illis poſſe (prout mihi videtur) comparari, nec vllum hominem tam ſuauem Domini ſuauitatem atque vnionem tam vnitam, & amorem qui adeo declaret & oſtendat, quam ſint mundi huiuſmodi viles, poſſe promereri. Quaſi vero labores illius ſint aliquid, vt cum hac voluptate comparentur: nam ſi pro Deo hi non tolerentur, nihil iuuant, ſi vero pro eo tolerentur, Maieſtas illius eos etiam pro virium noſtrarum magnitudine ſolet immittere & temperare; adeo ſcilicet eos ipſi, vtpote miſeri & puſillanimes, exhorreſcimus.

Expergiſcamur tandem, ô Chriſtiani, ô filiæ meæ (per amorem Domini vos obſecro) ab hoc mundi ſomno; & conſideremus, eum, quod ex eo mando nos manet præmium, non reſeruare vſque in alteram vitam, ſed iam tum in hac præſente vita nobis id ſoluere incipere. Quis, ô mi Ieſu, exponere & declarare poſſet commodum & bonum, quod in eo ſitum vt ipſi nos in Domini huius noſtri brachia conijciamus, & quoddam cum Maieſtate illius pactum ineamus, dicentes, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*. &, *Curam gerat ille rerum mearum, ego rerum illius*: nec tantum nos ipſos amemus, vt oculos nobis noſtros eruamus, vti vulgo dici ſolet. Rurſus ergo dico, Deus meus, & iterum te per filij tui ſanguinem rogo, hanc vt mihi gratiam præſtes, vt ſcilicet conſequi merear vt ipſe me oris ſui oſculo oſculetur, & vbera tua mihi da Domine: ſine te enim quid ſum? & niſi tibi iuncta & vicina ſim, ad quid valeo? ſi vel modicum à Maieſtate tua recedam ac deflectam, vbi tandem deſinam, Domine, miſericordia mea, & bonum meum? & quod hac in vita melius bonum habere velim, quam vt ita tibi coniuncta ſim, vt nulla ſit inter te & me diuiſio? Te ſocium habe quid dari & eſſe laborioſum poteſt? quid non propter te ſuſcipier, qui te tã vicinum & propè habet? quid eſt, Domine, quod mihi aut aſcribam aut acceptum referam? nihil, ſed potius vt valde me culpem & reprehendam, eo quòd tibi non ſeruiam? Vnde te cum ſancto Auguſtino tota cum animi reſolutione rogo, *mihi vt des quod iubes, iubeas autem quod voles*, & numquam, adiuuante tua gratia & auxilio, reſpiciam retro, aut tergum tibi obuertam.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CAPVT V.

**DE AMORE CONSTANTE, SECVRO ET STABILI; qui** *inde naſcitur, quòd ſe anima à diuinitatis vmbra protectam videt. Qui verò ordinariè ſolet Deus dare iis qui in eius amore perſeuerarunt, afflictionesq; & aduerſa propter eum paſſi ſunt. Nec non de ingenti fructu, quem amor hic producere ſolet.*

*Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

PErcontemur iam ſponſam, & benedicta illa anima, quæ ad hoc os admiſſa eſt, & cæleſtibus illis vberibus lactata & ſuſtentata, diſcamus (vt ſcilicet id nouerimus, ſi fortè Dominus nos aliquando ad tantam gratiã eueheat) quid nobis faciendũ ſit, aut quomodo nos gerere debeamus, & quid dicere? Quod autem nobis reſpondendum eſt: *ſub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: introduxit me Rex in cellam vinariam. & ordinauit in me charitatem.* Sedi ſub vmbra illius quem deſideraueram.

Declarantur illa nomina arbor & vmbra.

Quàm, ô Deus bone, anima hæc in ipſomet ſole poſita eſt, & eodem accenſa! dicit ſe ſediſſe ſub vmbra illius quem deſiderauerat. Vocat eum hic ſolem, item arborem vel pomum, atque fructum eius gutturi ſuo dulcem eſſe. Huc adſitis animæ, quæ orationi ſtudetis, omniaq; hæc verba ruminate. Quàm diuerſimodè Dominum noſtrum conſiderare poſſumus, quàm diuerſum ex eo cibum facere? Ipſe quippe manna eſt, quod eum ſapere debet, quem ipſi ex eo ſapere & habere volumus. Quam verò vmbra cæleſtis eſt! & quis verbis explicet id, quod de illa ei Dominus declarat? Venit mihi hic in mentem eius quod Angelus ad Sacratiſſimam Virginem Mariam dixit: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quam ſe ergo protectam & obumbratam videre debet anima, quando à Domino in hac magnitudine collocatur? quæ tutò reſidere & certa eſſe poteſt.

Luc. 1.

Iam vero notetis oportet, Deum vt plurimum, & penè ſemper (niſi forte ſit aliqua perſona, quam Dominus peculiari quodam modo vocare vult, quemadmodum vocauit S. Paulum, quia ſtatim ad contemplationis culmen extulit, eiq; apparuit, & talem

alloCutus eſt, vt valdè eleuatus manſerit) has tam eminentes delicias ſtatim non conferre, aut ſtatim cuipiam tam magnas gratias facere; ſed iis dumtaxat qui in eius obſequio permultum laborarunt, amo-remq; eius feruenter deſiderarunt, ſeq; ipſos diſponere ſunt conati, vt in omnibus ſuis rebus Maieſtati ipſius placerent, & quamdam iã inde à multis annis in mundi huius rebus nauſeam habuere. Nam qui huiuſmodi ſunt, reuera ſedent: nãq; conſolationem, quietem, & recreationem alio in loco non quærunt, quàm vbi ſe eam in veritate habere poſſe intelligunt, & ſub protectione Domini ſeſe conſtituũt, & aliud non cupiunt. Quàm verò bene faciunt, quòd in Maieſtate ipſius fiduciã collocent! quia quod illi deſiderarunt, id ipſe præſtat. Quàm etiam beata illa eſt anima, quæ ſub vmbra illius ſedere pro-meretur, etiam quantum ad ea quæ hic in terra videri poſſunt: nam, quantum ad id quod anima intelligere poteſt, (prout ſæpè intellexi) aliter ſe res habet. Nam cum anima in ea quam dixi voluptate agit, videtur ſentire, ſe totam abſorptam eſſe, & à quadam diuinitatis vm-bra, & quaſi nube, protectam & obũbratam, è qua tam iucundæ in-fluentiæ & tam ſuauis ros depluunt, vt, quod res mundi huius illi de-dere tædium & moleſtiam, hæ optimè & meritò auferant. Tunc quoque talem ſentit quietem, eam vt etiam defatiget & malè habe-at, quòd habitum adducere debeat: habetque potentias ſuas tam quietas & tranquillatas, vt voluntas ne vnam quidem cogitationem, etiã bonam, vellet admittere; nec eam etiam admittat, ita vt hanc ip-ſa vltrò inquiſiſſe aut procuraſſe videatur. neque enim opus eſt, vt (conſideratio videlicet) manuũ ſuam (vt ita dicam) moueat fruſtra, aut ſe eleuet: quoniam Dominus dat ei pomum (cui eum dilecta ipſius comparat) iam decorticatum, & coctum, quin etiam maſtica-tum: vnde ait, *fructum eius gutturi ſuo dulcem eſſe*. Etenim anima nihil hic facit præterquàm guſtare, idque ſine vllo potentiarum la-bore.

*Quibus Deus ordinariè hanc gratiam faciat.*

*Quomodo ſit anima quæ huc per-uenit.*

*Cur vocetur vmbra.*

Hæc autem diuinitatis vmbra, quàm aptè dicitur vmbra! quoniam apertè & clarè eam hic videre non poſſumus, ſed tantùm ſub nube hic: quo vſque rutilans & fulgens ſol, mediante amore, quam-dam inſinuet notitiam: qua diſcat, Maieſtatem ipſius adeò vi-cinam eſſe, vt dici nequeat, nec dictu poſſibile ſit. Scio, e-nim qui hoc aliquando expertus erit, facilè intellecturum, quàm verè ſenſus hic verbis hiſce ſponſæ hoc loco dari & adaptari poſſit.

Videtur porro mihi, quòd ſpiritus ſanctus mediator ſit inter animam & Deum, & quòd ipſe tam ardentibus de-

*Cur hic ſpiritus affectus ſpiritui ſancto attribuatur.*

ſiderijs

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſiderijs eam impellebat & moueat, vt verum ac ſupremum ig[illegible]
qui tam propè eſt, eam accendere faciat. Quàm poro ingen[illegible]
ô Domine, miſericordiæ, quibus hic erga animam vteris [illegible]
de in æternum benedictus & laudatus, qui tam bonus ama[illegible]
Fieri ne poteſt, Deus meus & creator meus, eſſe aliquem qu[illegible]
amet? eo quòd non meretur te cognoſcere. Quomodo ſuos [illegible]
illa malus ramos dimittit, quò anima poma eius decerpat, [illegible]
delicet magnitudinem, necnon miſericordiarum eius, qu[illegible]
ga ipſam vſa eſt, multitudinem conſiderando, vtque fructum [illegible]
Dominus noſter Ieſus Chriſtus è ſua paſſione, ſanguine ſuo p[illegible]
tioſo tam admirabili cum amore arborem hanc rigando, [illegible]
git, videat & fruatur.

## CAPVT VI.

### DE AMORE FORTIS SVSPENSIONIS ET RAPTV[illegible] *quo cum anima nihil ſe agere exiſtimet (non intelligendo tamen, qu[illegible] modo, aut qua ratione) Deus charitatem interea in illa ordinat, virtutes heroicas ei dando, è quibus ſpiritus egregiè proficit.*

*Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.*

PAulò antè dixit anima, ſe nonniſi diuinorum vberum [illegible]
nia & lacte victitaſſe, tamquam quæ in gratijs hiſce rep[illegible]
adhuc paruula & incipiens eſſet: & ſponſus eam ſuſtentab[illegible]
vero robuſtior ac prouectior eſt, eamque magis & magis ad [illegible]
dandum habilitat: vnde eam iam pomis enutrit. vult, inqu[illegible]
intelligere, quantum ad ei ſeruiendum & patiendum obliga[illegible]
ne hoc quidem ei ſatis eſt (quod certè mirandum, & quàm [illegible]
conſiderandum eſt:) nã quãdo Dominus cernit, animam iam [illegible]
eſſe ſuam, ac ſine vllo commodi proprij intuitu, nec ob [illegible]
nino rem, quæ eam per ſe ſola moueat, ſed dumtaxat ob [illegible]
Deus ſuus eſt, necnon propter amorem, quo Deus ipſam [illegible]
tur, ſibi ſeruire: identidem ſeſe illi communicat, idque tot [illegible]
uerſis modis, atq; is qui ipſamet ſapientia eſt, nouit. Quare [illegible]
hil amplius reſtare videbatur, quàm oſculum in pace, & i[illegible]
prius de vmbra dictum eſt: quæ longè maior & eminentior [illegible]
tametſi id ſatis male & tenuiter à me declaratum ſit, quòd [illegible]
obiter & velut indicando percurrerim: porro in eo quem [illegible]
xi, libro, id lõgè maiore cũ claritate expoſitũ, inuenieris, [illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dammodo Domino, vt in lucem prodeat, videatur. An ergo iam plura deſiderare non poterimus? Quam, Deus bone! tenuia ac nihil noſtra ſunt deſideria, vt ad tuarum magnitudinum fundum, Domine, pertingant! & quam pauca reciperemus, ſi nonniſi pro eo atque nos petimus, tu dares! Iam ergo videamus, quid poſthæc ſponſa dicat. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Cum ergo iam ſponſa ſub tam deſiderata, (& merito ſane) vmbra requieſcat, quid illi vltro reliquum eſt? quid amplius deſiderabit anima, quæ huc peruenit? niſi forte, ne hoc bono in perpetuum careat. Illi quidem nihil amplius quod petat, ſupereſſe videtur, at Regi noſtro ſacratiſſimo multa, quæ det, adhuc ſuperſunt: imo numquam quid aliud facere vellet, ſi inueniret, cui daret. Et, ſicuti iam dixi, & ſæpius dicere vellem, & vtinam, cariſſimæ, numquam rei huius obliuiſcamini; ſatis Domino non eſt, tam pauca nobis dare ac quidem nos ab eo petimus. Ego id nonnullis in rebus hic obſeruaui. Incipit, verbi gratia, quis à Domino petere, vt ſibi aliquam merendi, & pro ipſo quidpiam patiendi materiam det, vlterius ſuam intentionem non extendens, quam quouſque vires ſuas pertingere exiſtimat (cum tamen Maieſtas illius has adaugere poſſit;) & ecce, in exiguillius, quod pro illo & pati & facere decreuit, compenſationem tantos ei labores, perſecutiones, & morbos immittit, vt miſer homo neſciat vbi ſit. Mihi ipſi adhuc admodum inueni hoc contigiſſe, & ſubinde me dicere, *Ah Domine.* quia non tam multum habere nolebam: ſed maieſtas eius eas ſuppeditabat vires, & tantam patientiam, vt etiamnum admirer, quomodo id ferre poſſem. Et certè, afflictiones has cum omnibus mundi theſauris non commutarem.

*Deus plures dat animæ gratias quam ipſa petat.*

Dicit ergo ſponſa, *Introduxit me Rex in cellam vinariam*: ô quam mentem hic replet & afficit iſthoc nomen Rex potens, & dum videt quod nullum ſuperiorem is habeat, & regnatio eius finem non ſit habitura! Dum autem anima ita certa eſt, non multum ſibi, quo minus Regis huius, qui quæcumque in hac vita mortali poſſibilia ſunt, adeo aſſecurat, magnitudinem cognoſcat, deeſſe; dicit, *Introduxit me in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Colligo hinc ipſa gratiæ huius magnitudinem permagnam eſſe. Nam ſicuti de vino aliquo magis aut minus bibi poteſt, & de vno vino bono, & alio meliori, & hoc hominem magis aut minus inebriare: eodem modo in hiſce domini gratijs fit. Nam huic quidem è vino deuotionis nonniſi modicum dat, illi autem amplius: alij vero ita abundanter, vt eum extra ſe, & ſenſualitatem ſuam, & extra omnia terrena rapere incipiat: alijs vero ingentem in obſequio ſuo dat feruorem, alijs impetus,

*Agit de ſuſpenſione & raptu, quid ea ſit, & cur vocetur hic amor fortis, cella vinaria.*

tus, alijs denique feruidam erga proximum caritatem, in quibus adeò abſorpti ſunt, vt magnos quos hic patiuntur, labores nō ſentiant. Verùm id quod ſponſa dicit, huic proximè accedit, ſcilicet in cellam vinariam introducit, vt ibi, magis ſine vlla menſura, locupletari uadere poſſit.

Non videtur autem, quòd Rex illam ibi quidem eſſe, ſed nihil dare ei velit; imò vero vult vt bibat & comedat quantum vult & deſiderat, ac valdè inebrietur, ex omnibus illis, quæ in Dei cella ſunt vinis bibendo, vtque hiſce delicijs fruatur, illius magnitudines admiretur, vitam quoque amittere, aut vltra naturæ infirmitatem bibere non vereatur, denique in hocce voluptatum paradiſo emoriatur. Beata vero illa mors, quæ ſic viuere facit. Et verè ſic mori facit: magna quippe ſunt mirabilia, quæ anima intelligit, vt ſic extra ſe ſicuti id ipſamet teſtatur, dum ait. *Ordinauit in me charitatem.*

O verba, quæ numquam animæ, quam ita Dominus delicijs perfundit, deberent excidere! O immenſam ac ſupremam gratiam quamq; per ſe nullus promereri poteſt, niſi magnum Dominus auxilium adhoc & ſubſidiū concedat! Verum quoq; eſt, q̀ ne adamandum quidem ſeſe excitatā inueniat. Sed, ô beatū ſomnum, ter felicem ebrietatē, quæ ſponſum ſupplere eo agit, q̀ anima per ſe ipſa praeſtare non poteſt, dum ſcilicet mirabili quodā modo ordinat, vt omnibus potentijs mortuis, aut dormitātibus, amor maneat viuus, & ſomet non intelligente quomodo operetur, Dominus ordinet & mirabiliter operetur, vt cum ipſo amoris Domino, Deo inquam, magnam quamdam vitæ puritatem vnum quid factus ſit. quia nullus eſt, qui ipſum impediat, non ipſi ſenſus, non intellectus, non memoria. ſola vero voluntas ſe intelligit.

*Intellectus recipit lucē, & intelligit at non diſcurrit voluntas verò amet, ſed non eligit, itaq; anima per amorē operatur, & liberum arbitrium meretur.*

Cogitabam hic ipſa mecum, num inter voluntatem & amorem aliquod eſſet diſcrimen: & videtur certè mihi, aliquod eſſe (neſcio verò an fallar:) & amorē ceu ſagittam quādam videri, quā voluntas iaculatur; quaſi omni ea quā habet, violētia feratur, ab omnibus terrenis liberat, at in ſolum Deum impenſa, valdè ſerio, & verè Maieſtatē ipſius vulneret oportet; a deo vt in ipsūm et Deū (qui amore acta, nonniſi maximis cū fructibus (vti mox dicam) inde reuertitur. Et ita reuera fit, vti de nōnullis perſonis audiui, quas Dn̄s ſublimē in oratione gratiā euexit, vt ad ſanctā hāc abſorptionē per ſuſpenſionē quādā eos peruenire faciat. nā licet exteriùs præſentes videantur; rogati tn̄ quid ſentiant, nullo modo id declarare ſcire intelligere poſtea potuere aut valuere, quomodo amor illico operetur.

*Fructus ſuſpenſionis.*

Maximos fructus, quos anima hinc percipit, ſatis colligere ...

ſectibus & virtutibus, & fide viua, quæ inde ei remanet, necnõ è mũdi contemptu. At non liquet, aut percipitur, quomodo hæc bona ei data ſint, & quidnam anima hic fruatur, niſi fortè in principio, quando primùm incipit: eſt namq; ſuauitas hæc, & maxima & intenſiſſima. Adeò vt clarè appareat, hoc ipſum eſſe quod ſponſa hic ait; eò quòd Dei ſuauitas hic pro anima ſupplet, & ipſe ordinat, vt ea tam eminentes gratias illo tempore ſibi comparet.

At dubium eſſe poteſt, quomodò, cum adeò extra ſe ſit, & ita abſorpta, vt potentiarum ſuarum exercitio nihil omnino operari poſſe videatur, mereri poſſit? ex alia verò parte non videtur fieri poſſe, vt Deus tam ingentem ei gratiam faciat adhoc vt tempus illa ſuum inutiliter inſumat, nihilque illo durante, merendo lucretur. *Quomodo anima & operetur & mereatur, dum in ſuſpenſione eſt.* Id certè minimè credibile eſt. Sed, ô diuina arcana! nihil aliud porro nobis hic agendum, quàm intellectum noſtrum penitus ſubmittere ac captiuare, & cogitare, ipſum, ad magnalia Dei intelligenda, fruſtra velut eſſe & nihil omnino iuuare. Recordemur verò, quomodo Beatiſſima Virgo Maria, eſto eam, quam habebat, ſapientiam haberet, id fecerit, quomodo Angelum rogarit: *Quomodo fiet iſtud* & illo ei dicente, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: vlteriùs inquirere deſtiterit: &, ſicuti magna erat fide & ſapientia, ſtatim intelligebat, duabus illis hic rebus interuenientibus, nihil vlteriùs ſibi ſciendum aut dubitandum eſſe. *Luc. 1.* Non verò ſicut quidam docti, qui quòd per hunc orationis modum à Domino non conducantur, nec aliquod eius principium habeant, ita omnia ex rationis & ingeniorum ſuorum modulo menſuraq; intelligere volunt, vt per ſuas litteras & doctrinam omnia Dei magnalia comprehenſuri videantur. Vtinam verò hi aliquid de ſacratiſſimæ Virginis humilitate addiſcerent! Quàm, ô Domina mea, perfectè in te videre poſſumus id quod cum ſponſa ſua facit Deus, prout quidē & in Canticis ait! vti videre poteſtis, cariſſimæ, in officio de Beata Virgine, quod ſingulis ſeptimanis legimus, quàm nimirũ ex his multa in huius Antiphonas & lectiones ſint relata. Quoad alias verò animas, vnaquæq; id intelligere poterit, prout quidē id ei Dñs declarare voluerit: enim clariſſimè cernere poterit, num ex hiſce gratijs aliquam receperit, iuxta id quod ſponſa dicit, *Ordinauit in me charitatem.*

Ceterùm declaremus iã, quomodo, animabus in illa ebrietate & ſomno conſtitutis, Deus in illis charitatē ordinet, quandoquidē neſciunt vbinã fuerint, aut quomodo in tã eminētib⁹ deliciis & voluptate Dño placuerint, neu quid fecerint, cũ ei ꝓpterea gratias nõ egerint. Nõ eſt porro, ô anima à Deo amata, q̃ te crucies: cũ enim Maieſtas

eius huc te euehit, teq; tam delicioſè alloquitur, ſicuti è multis verbis, quæ ſponſæ in Canticis loquitur, ad oculum videbis (vti dum dicit, *Tota pulchra es amica mea*, & alia multa id genus, in quibus oſtendit, quantopere ſibi in illa placeat) credibile ſanè eſt, minimè illum permiſſurum, vt illo in tempore eum offendat, ſed potiùs eum ipſum in eo quod facere nô poterit, quò magis ſibi in ea côplaceat, adiuturum. Videte eam præ amore nimio erga illū perditā, & à ſe velut abalienatam, & ab hac ipſa amoris vehementia intellectus diſcurſum penitus illa ſublatum eſſe, quo eum magis amare poſſit; quomodo ergo ipſe viciſſim ſe non det ei, quæ ſe totam dat ipſi? non ſolet certè Maieſtas eius ſic facere.

Videtur porro mihi hic Maieſtas eius ſuper hoc aurum (quod iam perſona ſua præparauit & probauit, vt nimirum videat cuius pretij & valoris ſit amor quo ipſum proſequitur) aliud quid artificioſè ſuperinducere, & ſexcentis in eo modis operari, quos nemo quæ huc peruenit, declarare poterit. Hæc anima, aurum eſt quod illo in tempore ita conſtituta eſt, nullum prorſus vt edat motum, nec plus per ſe operatur, quàm ſi ipſum eſſet aurum, ſed reſignata ad omne id, quod diuinus ille aurifaber, & diuina ſapientia de ipſa facere voluerit; qui tali in ſtatu eam videre gaudens (quod pauca ſint, quæ tam vehementer & ardenter eum ament) mille pulchriores, illo in auro, multas gemmas pretioſas & vermiculationes inducit. Quid ergo anima illa toto illo tempore facit? Hoc ſcilicet, quod non ſatis intelligi poteſt, nec plura de eo ſciri præter id quod ſponſa dicit, *Ordinauit in me charitatem.*

Ipſa ſaltem, ſi amat, neſcit quomodo amet, nec intelligit quid illud amat? ſummus namq; ille amor, quo Rex ipsā proſequitur, cùm eam ad tā eminentē ſtatū eā deduxit, animæ huius amorem ſibi vnire oportet, vt intellectus ipſum intelligere non mereatur. Niſi duo hi amores fiant vnus, & amor animæ cum amore Dei tam intimè atque coniungantur, quomodo eum intellectus percipere queat? nam toto eo tempore eum ex oculis perdit; quod certè nunquam diu durat, ſed breuis durationis eſt. Ac Deus ita hinc ibi eam ordinat, vt diuinæ eius Maieſtati optimè tunc placere per omnia ſciat, atque etiam poſtea, vt tamen intellectus id non intelligat, vti antè dictum eſt. Sed poſtea id ſatis intelligit, cùm animam hanc virtutum gemmis & margaritis adeo vermiculatam & condecoratam videt, vt illa ipſum in admirationē rapiat, & dicere poſſit, *Quæ eſt iſta, quæ ſicut ſol?* Quam te, ô vere Rex, ſponſa hoc nomine meritò compellare poteſt, quandoquidem potes vno momento diuitias dare

que in anima ponere, vtque ijs in perpetuum fruatur, efficere. nam amor animam illam ordinatam efficit.

Euidentia equidem rei huius proferre argumenta potero; etenim quædam in alijs conſpexi. Memini me vnam vidiſſe, cui Dominus triduo vno tot tantaq; bona dedit, vt, niſi experientia (quia iam ab hinc annis aliquot ipſa in illis ſe exercuit, quin & ſemper indies in melius profecit) id me credere compelleret, id mihi impoſſibile videretur. Aliam verò, cui id trimeſtri ſpatio datum. Et ambæ verò erant adhuc ſatis iuuenes. Alias verò vidi, quibus nonniſi poſt multos annos hanc DEVS gratiam præſtat. Et ſicuti de duabus illis dixi, poſſem & de æliquot alijs dicere. Et ideo hoc an noto, quòd hoc loco ſcripſi paucas eſſe animas, quibus, niſi ad multos annos afflictiones & preſſuras paſſæ ſint, has Dominus gratias conferat: vt ſciatur, ſaltem eſſe aliquas. Tam potenti autem & magno Domino, & ad gratias dandas tam propenſo, non eſt terminus aut taxa aliqua conſtituenda.

Contingit nonnumquam (imò penè ordinarium) Domino id genus gratias animæ faciente (gratias inquam, non verò illuſiones, aut melancholicos humores, aut aliquas periclitationes quas ipſamet natura facit; hoc namque, vti & aliud illud, tempus ipſum tandem patefacit & declarat) virtutes tam validas eſſe, & amorem tam intenſum, vt tegi nequeat: eo quòd, etiamſi fortè nolint, ſemper animabus nonnullis proſunt: vnde ait ſponſa, *Ordinauit in me charitatem.*

Vt nimirum hæc ita ordinata ſit, vt amor, quo in mundum prius ferebatur eam iam deſerat, illique in odium & nauſeam vertatur, amor verò eius in conſanguineos & amicos ita temperetur, vt eos ſolùm diligat propter Deum: amor verò illius in proximum, & in ipſos inimicos, quantus ſit, credi non poterit; niſi quis eum viderit: amor denique eius in Deum, valdè intenſus eſt, & adeo illimitatus, vt ſubinde magis is eam vrgeat, quàm infirmum ejus corpus ferre valeat. videns porro ſeſe iam deficere & languere, & præ amore mori, ait *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* *De ordine Charitatis.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CAPVT VII.

**DE AMORE DEI VTILI, QVI SVMMVS AMORIS EST GRA-** *dus, & is duas habet partes. Prima eſt, quando anima per ſolum Deo placendi de- ſiderium, ſine vllo alio reſpectu, magna ſeruitij ipſius opera exercet: vt ſunt præ- cipue, purè viuere, glorificare & adorare Deum, zelus quoque proximorum ani- mas ad cælum conducendi: quæ ſunt tria florum quos ſponſa petit genera. Al- tera, quando, quo Chriſtum crucifixum qui pomus dicitur, imitetur, labores, tribulationes, & perſecu- tiones petit ac deſiderat, & illas ſi habeat, patienter fert.*

*Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

*De primo genere amoris vtilis, quæ eſt heroica opera facere.*

QVæ lingua dari tam diuina poteſt, quæ propoſito meo conue- niat! quam te, ô ſancta ſponſa, enecat ſuauitas? (quia, vt iam dixi, ſubinde ea tam exceſſiua eſt, vt animam vſque adeo conficiat, vt iam nulla prorſus viuendi ratio ſuppetere videatur) & petis flores: qui porro ſunt iſti flores? neq; enim hi malum tuum curare poſſunt, niſi forte ideo eos petas, vt iam plane emori pergas. nam, vt verum fatear, quando anima huc pertingit, nihil magis deſiderat. Sed hoc loco non quadrat: ait enim, *fulcite me floribus*. Fulcimentum petere, non eſt (vt mihi quidem videtur) mortem petere, ſed ... vt viuendo aliquod præſter obſequium ei, cui tantum ſe debere ... det. Nolite putare, cariſſimæ, me exaggeratiue locutam, cum di... languere & mori; ſed vere id quod dixi, à parte rei ita contingit.

*Amoris vehementia interdum enecat hominem.*

Nam amor nonnunquam tam vehementer operatur, & ita ſuper o- mnes corporis vires præualet ac prædominatur, vt norim qua... perſonam, quæ cum in ſimili orationis genere verſaretur, & ... quemdam cantum audiret, aſſeruerit, niſi cantus iſte ceſſaret, ... anima ſua, præ delectationis & ſuauitatis, quam Dominus ei ... dam dabat, magnitudine è corpore exiret. Vnde Maieſtas ipſius ... cit vt cantor ille à cantando ceſſaret. Nam quæ in hac ſuſpen... conſtituta erat, poterat quidem mori, at non dicere, vt cantor ... nendo ceſſaret. etenim omnis illius motio exterior huiuſmodi ... vt nullam ipſa poſſet operationem facere, nec aliquatenus ... ſe. Intelligebat quidem, quonam in periculo verſaretur, at ...

*Dulcis mors amoris.*

ac ſicut dum quis in profundo quodam rei afflictiuæ ſomnio con- ſtitutus eſt; qui quidem inde emergere vellet, at tamen, tam...

ſe loqui non poteſt. Hic quidem anima inde digredi nollet: nec mori ei pænoſum aut graue foret, ſed voluptas ſumma & gaudium. hoc namq; eſt quod deſiderat. Et ſanè quam beata & optabilis mors foret, in huius domini & diuini ipſius amoris manibus mori! &, niſi Maieſtas eius ſubinde ei lucem daret & oſtenderet; expedire ipſam viuere, & hoc tolerare; imbecillum eius corpus id perferre non poſſet, ſi quidem id bonum diu duraret: quare aliud ab eo bonum hic poſtulat, quo maximo & ſingulariſſimo hoc bono egredi ſibi liceat: itaque ait, *fulcite me floribus*.

Alium flores hi ſpirant odorem, quam ij quos hic interra odoramus: hic ergo ſponſa, (vt quidem ipſa intelligo) petit vt eximia magnaque in Domini noſtri ac proximi obſequio opera agere queat. hinc gaudet, ſi hanc recreationem & gaudia amittat: nam hi flores magis ad actiuam, quam contemplatiuam vitam ſpectant, vt per hoc aliquid perdere videatur, quare ſuæ petitionis fit compos. cum enim anima hoc in ſtatu verſatur, ſemper operatur; & Martha ac Maria penè iunctim incedunt. nam in actiuo, (quod videtur ipſum exterius) operatur id quod interius eſt. Cum vero opera actiua ab hac radice oriuntur, ſunt mirabiles & odoriferi quidam flores, quia ab hac amoris Dei arbore procedunt, & ob eum ſolum, ſine vllo proprij commodi intuitu fiunt: florumque horum odor latè ſeſe diffundit, quo multis proſint. Eſt autem odor, qui duret, nec cito pertranſeat, ſed qui magnas operationes faciat.

*Quid ſunt flores. & melior eſt amor eius qui facit opera propter Deum, quã eius qui in oratione guſtus & ſuauitates percipit.*

Magis me ipſam declarare volo, vt rem melius intelligatis. Habet quis, verbi gratia, concionem, cum animarum proximorum iuuandarum propoſito, ſed, à reſpectu & commodis humanis adeo mortificatus ac abſtractus non eſt, quin ſimul aliquam auditoribus complacendi intentionem habeat quo aliquem tam honorem, aut auctoritatem ſibi paret, aut ſi Canonicatus aliquis conferendus ſit. Sic ſunt & alia opera, quæ multi in proximi vtilitatem, & bona cum intentione faciunt: ſed accuratè videntes, ne quam propterea ipſi iacturam faciant, aut hominibus in aliquo diſpliceant. Perſecutiones quidem aliquas habent, at cupiunt Regibus, proceribus & populo placere; & cum diſcretione procedunt, quam mundus tanti facit & honorat. hæc namq; plurimarum eſt imperfectionum excuſatrix & protectrix; etenim diſcretionis nomine id vocant, atq; vtinam diſcretio ſit! Hi quidem Maieſtati eius ſeruient, quin & aliis, multum proderunt: at hæc, non ſunt opera & flores quæ ſponſa poſtulat (vti mihi quidem videtur) ſed ſolum Dei honorem & gloriam

*Opera vitæ actiuæ dum cum contẽplatione iunguntur, & ex amore naſcuntur, ſumma fuit perfectio.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gloriam in omnibus intueri. Nam reuera crediderim, animas, quas
Dominus huc conducit (prout quidem intellexi) non magis ſui ipſo-
rum recordari, & ad ſe reflectere, quàm ſi de facto non eſſent, non vi-
dere inquam, iacturamne an lucrum facturæ ſint: ſed tantùm curant
vt Domino ſuo ſeruiant ac placeant. Et quoniam amorem, quo Deus
famulos & filios ſuos proſequitur, perſpectum habent: hinc volup
illis eſt proprio guſtu & bono carere, quò illis ſatisfaciant & ſeruiant,
ac veritates illis declarent, ad ipſorum animabus quàm poſſunt com-
modiſſimè conſulendum: nec ſicuti dixi, cogitant numquam
hinc paſſuri ſint iacturam. Vnicum proximi ſui lucrum præ oculis
habent, & aliud nihil: & quò Deo magis placeant, ſui ipſorum proxi-
mi cauſa obliuiſcuntur, quin & vitam ſuam in petitione animarum
verbis ipſorum, in ſublimi hoc amore Dei inuolutis, cæleſti hoc vino
inebriati, ſui non recordantur, &, ſi recordentur, parum curant
hominibus placeant. Huiuſmodi qui ſunt, multum proſunt
lijs.

*Samaritanæ exemplũ.*

Venit hic mihi in mentem id, quod aliàs adhuc ſæpè me
cogitaui, ſcilicet factũ Sanctæ illius Samaritanę: quàm verò illa
herba debebat ſaucia eſſe, quamq; bene in corde ſuo verba
toris comprehendiſſe, cùm, quò ciues ſui eum lucrarentur, &
tenus ſibi ex illo prodeſſent, ipſummet Dominum reliquerit,
hæc bene & euidenter declarat id quod hic dico! Porro,
huius caritatis compenſationem meruit, vt ei omnes crederent,
magnum illum fructum, quem inter oppidanos illos Dominus
cit, ſuis ipſa oculis cerneret. Vna è maximis, quæ quidem in terris
beri poſſunt, conſolationibus (vt mihi videtur) eſſe debet,
quòd noſtra opera & adminiculo animæ nonnullæ ad bonum
gem profecerint. Tunc quippe mihi ſapidus horum florum
comedi videtur. Beati vero illi, quibus Dominus haſce gratias
ſtat: qui ad ei ſeruiendum quàm maximè obligati ſunt. Et ſancta
mulier, diuina illa ebrietate ebria, per plateas etiam vociferans
clamat.

Quod vero quàm maximè miror, eſt, videre quomodo
crediderint, eò quòd ipſa, eſſet mulier. Et certe non debebat
claritatis & æſtimationis eſſe, quandoquidem aquatum ibat:
men ſatis magnæ humilitatis, quoniam, quando Dominus
cata aperiebat, non eſt indignata, nec moleſtè tulit (vti hodie
do fieri ſolet, quòd veritas audiri & ferri nequeat) ſed dixit,
hauddubiè eſſet Propheta, tandem ei etiam fidem & credi-
derunt, &, ad ſolum eius verbum &, annunciationem

ad videndum Dominum vrbe egreſſi ſunt. Ad eundem modum etiam multi proximo proſunt: nam poſtquam iam per aliquot annos cum Maieſtate eius locuti ſunt, eſto, quò delicias & recreationes eius habeant, in rebus aſperis & laborioſis ei ſeruire omittere nolint, licet hæ deliciæ & recreationes nonnumquam impediantur, hi inquam flores, & eximia opera, & ab arbore tam feruentis amoris producta: florum tamen odor multo diutiùs durat, & anima talis magis per verba & opera ſua proximo prodeſt, quàm multi, qui ea faciunt puluere ſenſualitatis noſtræ, & aliquo commodi proprij intuitu permixta & fœdata.

Hinc oritur robur quoddam ad perferendas perſecutiones: & hæc ſunt poma, de quibus mox ſpōſa dicit, *ſtipate me malis*: quaſi dicat Domine da mihi labores & perſecutiones: & verè eas deſiderat, quin etiam fructum inde refert: nam, quia non tam propriam delectationẽ reſpicit, quàm quomodo Deo ſuo placeat, hinc volupe illi eſt, laborioſiſſimã vitã quam Chriſtus vixit in aliquo imitari. Equidem per pomum, arborem crucis deſignari exiſtimo, eò quòd in alio Canticorum loco dicat, *ſub arbore malo ſuſcitaui te.* Et anima, quæ crucibus & laboribus varijs circumuallata eſt, magnum auxilium attamen exſpectat. in contemplationis quidem recreatione ordinariè non verſatur, at magnam in patiendo voluptatem ſentit: verùm virtus eam non conſumit & deſtruit, quemadmodum ſuſpenſionem potentiarum in contemplatione facere veriſimile eſt, ſi ea valdè frequens & ordinaria ſit. Et non ſine ratione ita petit, quia non ſemper debet eſſe fruitio, vt nihil ſeruiat, & nõ aliquid patiatur. Hoc ergo ſtudioſè in nonnullis perſonis obſeruaui (quia propter noſtra peccata, non ſunt multi tales) qui quò in oratione & delicijs DOMINI prouectiores ſunt, eo in proximorum conſolationem & ſalutem intentiores ſunt, ac præſertim animarum: &, quò vel vnam è peccati mortalis ſtatu, educant, multas daturi vitas videntur, quemadmodum initio dixi.

Quis hoc perſuadeat ijs, quibus Dominus iam delicias dare incipit? imò verò putabant forſitan, alias illas parum in virtute prouectas eſſe, & in eo omnia ſita eſſe, quòd ipſi in angulo ſuo illo fruantur. Prouidentiæ DOMINI, (vt mihi quidem videtur) eſt, hos non intelligere quonam aliæ illæ animæ perueniant, nam per ſuum quem in principio ſentiunt, feruorem, vellent ſtatim vſque eò, quò illi, ſaltum facere & pertingere. ſed hoc illis minimè expedit, quia nondum ſatis corroborati ſunt: ſed lacte eo de quo initio dixi, eos adhuc diutiùs enutriri & ſuſten-

ſuſtentari opus eſt. Stent ergo iuxta diuina illa vbera: Domino au-
que curæ erit, eos, cum iam robuſtiores erant, ad altiora & maiora
uehere; quia tunc eum non facerent fructum, quem ſeſe alio quin
cturos putant; imò verò ſibiipſis nocerent. Sed quoniam in libro,
quem vobis indicaui, animam alijs prodeſſe cupidam deſcriptam
inuenietis, necnon quantum in eo ſitum ſit periculum, vt ante de-
bitum tempus prodeat, (& quidem ſatis diffuſe;) hinc illud repe-
petere nolo, nec pluribus in hac materia me diffundere: cum inten-
tio mea (cum primum materiam hanc ordirer) fuerit, vobis decla-
re & docere, quomodo recreationem & conſolationem percipere
ſitis, quando aliqua Canticorum verba audietis, & quomodo (ſi
ea vobis obſcura videantur) magna, quæ in illis latent myſteria, e-
uoluere poteritis. Pluribus autem rem hanc pertractare velle, ridi-
culum & temerarium foret. Det Dominus, audacia etiam non fuerit
quidquid dixi hactenus; eſto non alia hic mea fuerit intentio, quam
obedire ei qui id mihi faciendum præſcripſit. Maieſtatis vero ſuæ
in obſequium omnia tendant: ſi quid in ijs bene dictum appareat,
credetis certè id meum non eſſe; cum ſorores, quæ apud me ſunt, vi-
deant, quanta ea cum celeritate ſcripſerim, idque ob varias quibus
opprimor, occupationes. Maieſtatem eius rogo; vt eas ego per ex-
perientiam poſſim intelligere. Quæ vero, aliquid horum ſe ſcire
exiſtimabit, Dominum laudet; & poſtremum hoc ab eo petat, vt ad
ipſam ſolam fructus deriuetur. Vtinam nos Dominus in ſua
protectione habeat, ſuamque ſanctam voluntatem
ſemper adimplere nos doceat.

Amen.

Finis.

TRACT.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN